

THE LIBRARY OF CONGRESS



AUGUSTINUS PRÆDICANS

SEU

QUINQUÁGINTÁ DUO SERMONES

IN OMNES DOMINICAS

TOTIUS ANNI ECCLESIASTICI EXCERPTI

EX DIVERSIS OPERIBUS

S. P. N. AUGUSTINI

Opera et studio P. Fr. Joannis Vena
ejusdem Ordinis Alumni

NECESSARIIS LICENTIIS

TAMBOBONG

—

Apud Exiguam Tipogr. Orphanotrophii
B. M. V. de Consolatione
MDCCCXCII

PROEMIUM

GRATIAM, CRISTE, MEIS PRÆBE LABORIBUS.

Cum in divinis Libris versaris, noli hoc tantum curare ut levius percurras, et ea quæ scripta sunt obiter persequaris; sed vel si sæpius, iterumque ac tertio eamdem rem perlegere necesse sit, ut eam plene assequaris, ne recuses laborem. Quin et cum aliquid lecturus es, aut ex altero legente auditurus, Deum prius precare in hunc fere modum: Aures et oculos cordis mei, Domine Jesu Criste, aperi, ut audiam sermones tuos et inteligam, tuamque voluntatem faciam. Advena ego sum in terra, non abscondas á me mandata tua. Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.

(S. Ephrem.)

BENEVOLO LECTORI.

Qui legit audientibus litteras, utique quas agnoscit ennuntiat; qui autem ipsas litteras tradit, hoc agit ut alii quoque legere noverint; uterque tamen id insinuat quod accepit. Sic etiam qui ea quæ in Scripturis intelligit, exponit audientibus, tamquam litteras quas agnoscit pronuntiat lectoris officio: qui autem præcipit quomodo intelligendum sit, similis est tradenti litteras, hoc est præcipienti quomodo sit legendum, ut quomodo ille qui legere novit, alio lectore non indiget, cum codicem invenerit, á quo audiat quid ibi scriptum sit; sic iste qui præcepta quæ conamur tradere acceperit, cum in libris aliquid obscuritatis invenerit, quasdam regulas veluti litteras tenens intellectorem alium non requirat, per quem sibi quod opertum est retegatur; sed quibusdam vestigiis indagatis ad occultum sensum sine ullo errore ipse perveniat, aut certe in absurditatem pravæ sententiæ non incidat. Quapropter quamquam et in ipso opere satis apparere possit, huic officioso labori nostro non recte aliquem contra dicere, tamen si hujusmodi prœmio quibuslibet obsistentibus convenienter videtur esse responsum, hujus viæ quam in hoc libro ingredi volumus, tale nobis occurrit exordium.

(S. P. Augustinus.)



DOMINICA 1.ª ADVENTUS

SERMO.

Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura, Gentium... *S. Luc. Cap. 21.*

Novissimus dies terribiliter venturus auditur eis, qui securi esse bene vivendo nolunt, si malè vivere diu volunt. Utiliter autem Deus latere voluit illum diem, ut semper sit paratum cor ad expectandum quod esse venturus scit, et quando venturum sit nescit. Quia veró Dominus noster Jesus Christus magister nobis missus est, etiam Filium hominis dixit nescire illum diem, quia in magisterio ejus non erat ut per eum sciretur á nobis. Neque enim aliquid scit Pater quod Filius nescit, cum ipsa scientia Patris illa sit, quæ sapientiæ ejus est: est autem sapientiæ ejus Filius ejus, Verbum ejus. Sed quia nobis scire non proderat, quod quidem ille noverat qui nos docere venerat, non tamen hoc quod nobis nosse non proderat: non solum sicut magister aliquid docuit, sed sicut magister aliquid non docuit. Tamquam enim magister sciebat et docere quod proderat, et non docere quod oberat.

Veniet enim judex omnium vivorum et mortuorum, sicut in Evangelio legimus. Et verum est; quoniam ista quæ modo videmus, non erant quando futura dicebantur. Quod videtis modo prædicari nomen Christi per omnes gentes, converti homines ad unum Deum, dimitti idola, dimitti dæmonia, everti templa, frangi simulacra; omnia ista nondum erant, tamen dicebantur, et modo videntur. In quibus ergo litteris scripta sunt ista quæ jam videmus, (tunc autem scripta sunt, quando non videbantur, sed futura promittebantur,) in ipsis litteris legimus quod nondum venit. Nondum enim venit dies judicii, nondum venit resurrectio mortuorum, nondum venit judicaturus, qui prius venerat judicandus. Judicatus injuste, judicaturus juste: Differens potentiam cum vult ostendere patientiam. Venturus est ergo; et quomodo se promisit esse venturum, sic veniet et apparebit in claritate omnibus etiam resurgentibus. Ait quidem Evangelium: *et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate.*

De sublimi ergo habitatione cœlorum, ubi nunc est ejus etiam immortale jam corpus, Dominus noster Jesus Christus ad judicandos vivos mortuosque venturus est, secundum evidentissimum angelicum testimonium, quod scriptum est in Actibus Apostolorum. Intuentes enim discipuli Dominum ascendentem in cœlum, et cum suspensis aspectibus deducentes, audierunt Angelos dicere: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Quid est: *sic veniet?* In ea forma veniet, ut impleatur quod scriptum est: *videbunt in quem pupugerunt.* Sic veniet. Ad homines veniet, homo veniet; sed Deus homo veniet. Veniet verus homo et Deus, ut faciat homines deos. Ascendit enim: viderunt qui nobis nuntiaverunt. Qui non viderunt crediderunt: alii non credentes irriserunt. Resurrectio Christi, spes nostra: adventus Christi,

res nostra. Ille ergo qui est ad dexteram Patris, spectandus est donec veniat: utinam paratos nos inveniat.

In ea enim forma judicabit Christus, in qua judicatus est. Sic eum viderunt Apostoli ascendentem in cœlum, quando audierunt sic esse venturum. Illa forma erit conspicua vivis et mortuis, bonis et malis: sive bonos intelligamus nomine appellatos esse vivorum, malosque mortuorum; sive illos accipiamus, quos nondum finisse istam vitam inveniet ejus adventus, mortuos autem quos ejus præsentia suscitabit, sicut ipse in Evangelio loquitur dicens: *veniet hora, quando omnes qui sunt in monumentis audient vocem ejus et procedent qui bene fecerunt in resurrectionem vitæ, qui mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Quomodo ergo visus est ab eis qui crediderunt et ab eis qui crucifixerunt, quando judicatus est; sic videbitur cum cœperit esse judex, et ab eis quos damnabit, et ab eis quos coronabit. Visionem autem illam divinitatis, quam promisit dilectoribus suis, tunc impii non videbunt. Ista demonstratio quodam modo familiaris est; suis illam servat, non illam ostendet impiis. *Tolletur enim impius,* sicut dicit Propheta, *ne videat claritatem Domini. Et: beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Tunc enim unusquisque resurrecturus est cum caussa sua. Qui bonas habent caussas, recipiuntur in requiem: qui autem malas habent caussas, recipientur in pœnas. Sed majores pœnas passuri sunt mali cum resurrexerint: in quarum comparatione tales sunt istæ quas patiuntur qui male mortui sunt, qualia sunt somnia hominum qui torquentur in somnis. Animæ namque eorum patiuntur, caro non patitur. Major autem cruciatus est, si vigilans torqueatur. Ergo cum resurrexerint omnes, et apparuerint ante judicem justum, sicut ipse prædixit, separabit eos sicut pastor separat oves ab hœdis: hædos ponet ad sinistram, oves autem ad dexte-

ram. Et dicet his qui ad dexteram sunt: *venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Ad istam vocem gaudent dexteri, gaudent justi. Illis autem qui sunt á sinistra dicturus est: *ite in ignem æternum cum diabolo et angelis ejus.* Ab hoc auditu malo justus non timebit.

Qui enim modo in Christum credit, et præcepta ejus facit, et diligit eum, non timebit quando veniet judicare vivos et mortuos: non solum non timebit, sed ut veniat optabit. Quid enim nobis felicius, quam quando venit quem desideramus, quando venit quem amamus? Sed timeamus quia judex noster erit. Qui modo est advocatus noster, ipse tunc erit judex noster. Audi Joannem: *si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra*, dixit, *fidelis est et justus, qui dimittat peccata nostra, et mundet nos ab omni iniquitate. Hæc scripsi vobis, ut non peccetis: et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est exoratio peccatorum nostrorum. En ipse pro nobis orat, ipse pro nobis interpellat.* Advocatum habemus, et judicem timeamus? Immo quia advocatum præmisimus, securi judicem venturum speremus.

Credamus ergo, fratres: nullus nobis contra fidem, quam tenemus et annuntiamus de judice Christo, scrupulus dubitationis in corde remaneat. Venit Christus, sed primo salvare, postea judicare: eos judicando in pœnam; qui salvari noluerunt, eos perducendo ad vitam, qui credendo salutem non respuerunt. Prima dispensatio Domini nostri Jesu Christi medicinalis est, non judicialis: ad omnia ergo nos paratos inveniat qui nobis loquitur, cum tempus est et illi loquendi, nondum judicandi, et nobis audiendi, nondum frustra pœnitendi. Et quoniam diem novissimum scimus venturum; et utiliter ignora-

mus quando venturus sit, bene vivamus; ut non solum non timeamus venturum illum diem, sed et amemus. Dies quippe ille sicut laborem infidelibus auget, sic fidelibus finit. Quid autem horum duorum esse velis, antequam veniat nunc est in potestate; cum venerit, non erit. Elige ergo cum tempus est: quia Deus quod misecorditer occultat, misericorditer differt.

DOMINICA 2.ª ADVENTUS.

SERMO.

Tu est qui venturus est; an alium expectamus?
S. Mathæus in Ev. *cap. 12.*

Lectio sancti Evangelii questionem nobis proposuit de Joanne Baptista. Adjuvet nos Dominus ut solvamus eam vobis quomodo eam solvit nobis. Joannes Christi testimonio laudatus est, ut audistis; et sic laudatus, ut in natis mulierum non surrexisset major. Sed major illo erat natus ex Virgine. Quantum major? Ipse præco dicat, quantum intersit inter se et judicem suum: cujus præco est. Antecessit enim Christum Joannes, et nascendo, et prædicando: sed antecessit obsequendo, non se præferendo. Nam et officium totum ante judicem ambulat; et qui ambulant priores, ipsi sunt posteriores. Quantum ergo testimonium perhibuit Joannes Christo? Ita ut diceret non se dignum esse, qui solveret corrigiam calceamenti ejus. Adhuc quid? Nos, inquit, de plenitudine ejus accepimus. Lucernam se confessus est de illo accensam. Et ideo ad pedes ejus confugit, ne ad alta

petens vento superbiæ extingueretur. Tam quippe magnus erat ut Christus putaretur: et si non ipse testis suus esset quia non erat ipse, remaneret error et putaretur ipse. Qualis humilis? Deferebatur illi honor á populo et ipse respuebat. Errabant homines in ejus magnitudine, et ipse se humiliabat. Nolebat crescere hominum verbis, quia comprehenderat Dei verbum.

Ergo hoc Joannes de Christo: Christus de Joanne quid? Modo audivimus: cœpit dicere ad turbas de Joanne *quid existis in desertum videre? arundinem vento moveri?* Utique non; quia Joannes non circunstabatur omni vento doctrinæ. Sed *quid existis videre? hominem mollibus vestitum?* Non; quia Joannes aspera erat veste vestitus: habebat enim vestem de pilis camelorum, non de plumis. Sed *quid existis videre? Prophetam?* Ita: et major quam Propheta. Quare major quam Propheta? Venturum Dominum prænuntiaverunt, quem videre desideraverunt, et non viderunt; huic autem præstitum est quod illi quæsierunt. Vidit Dominum Joannes, vidit, digitum in eum intendit, et ait, *ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi:* ecce est. Jam venerat, et non agnoscebatur: et ideo et in ipso Joanne errabatur. Ecce est hic quem desideraverunt videre Patriarchæ; quem prænuntiaverunt Prophetæ; quem præsignavit lex. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: Et ille bonum testimonium perhibuit Domino, et Dominus illi: *In natis mulierum,* inquit Dominus, *nemo surrexit major Joanne Baptista: qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo:* minor tempore major majestate. Se ipsum volens intelligi, hoc dixit. Valde inter homines Joannes est magnus, quo solus inter homines major est Christus. Potest et sic distingui et solvi: *In natis mulierum non surrexit major Joanne Baptista: qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo.* Non sic quomodo paulo ante dixi. *Qui autem minor est*

in regno cœlorum, major est: regnum cœlorum dixit ubi Ángeli sunt, qui ergo inter Angelos minor est, Joanne major est. Commendavit regnum quod desideremus: proposuit civitatem, cujus civis esse cupiamus. Quales ibi cives? quam magni cives? Quisquis ibi minor est, Joanne major est. Quo Joanne? Quo nemo major surrexit in natis mulierum.

Audivimus verum et bonum testimonium et Joannis de Christo, et Christi de Joanne. Quid sibi ergo vult, quod missit ad eum discipulos suos Joannes, cum inclusus esset in carcere jam occidendus, et ait discipulis suis, ite dicite illi; *tu es qui venturus est, an alium exspectamus?* Ipsa est tota laudatio? Illa laudatio facta est dubitatio? Quid dicis Joannes? cui dicis? Quid dicis? Judex dicis, præco dicis. Tu digitum intendisti, tu eum ostendisti: tu dixisti, *ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: Tu dixisti, *nos omnes de plenitudine ejus accepimus.* Tu dixisti, *non sum dignus corrigiam calceamenti ejus solvere.* Et modo tu dicis: *tu es qui venis, an alium exspectamus?* Ille ipse non est? tu quis est? Nonne tu es præcursor ipsius? Nonne tu es de quo prædictum est, *ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, et præparabit viam tuam?* Quomodo viam præparas, et tu erras? Veneruut ergo discipuli Joannis: et Dominus ad illos; *ite dicite Joanni: cœci vident, surdi audiunt, claudi ambulant leprosi mundantur, pauperes evangelizantur: et beatus qui in me non fuerit scandalizatus.* Nolite suspicari Joannem scandalizatum esse in Christo. Et tamen verba quasi sic sonant: tu es qui venis? opera interroga: cæci vident, surdi audiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur: et quæris an ego sum? opera, inquit, mea, verba mea sunt, ite, renuntiate. *Illis autem abeuntibus.* Ne forte aliquis dicat, bonus erat primo

Joannes, et spiritus Dei deseruit illum: ideo ista dixit post eorum discessum; post discessum ipsorum quos miserat Joannes, Christus laudavit Joannem.

Quid sibi ergo vult obscura quæstio? Luceat sol, unde illa lucerna accensa est. Prorsus ita solutio evidens solutio est. Joannes seorsum habebat discipulos: non separatus, sed testis paratus. Oportebat enim ut talis perhiberet testimonium Christo, qui et ipse discipulos colligebat, qui ei poterat invidere, si non possit videre. Ergo quia pro magno habebant discipuli Joannis magistrum suum Joannem; audiebant á Joanne testimonium de Christo et mirabantur: moriturus, ab illo eos voluit confirmari. Sine dubio enim illi dicebant apud se ipsos: iste de illo tanta dicit, ipse de se ista non dicit. Ite dicite illi: non quia ego dubito, sed ut vos instruamini. Ite dicete illi quod ego soleo dicere, ab ipso audite: audistis præconem, confirmamini á judice. Ite dicite illi, tu es qui venis, an alium exspectamus? Ierunt et dixerunt; propter se non propter Joannem. Et propter illos dixit Christus; *Cœci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, leprosi mundantur, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur*. Videtis me, agnoscite me; videtis facta, Factorem agnoscite. *Et beatus qui in me non fuerit scandalizatus.* Sed de vobis dico, non de Joanne. Nam ut sciremus quia non de Joanne dixit: Illis abeuntibus cæpit dicere ad turbas de Joanne: dixit laudes ejus veras verax veritas.

Puto satis istam solutam esse quæstionem. Sufficiat ergo usque ad ejus solutionem perduxisse sermonem. In mente habete humilitatem. Quid est habere humilitatem? Nolle in se laudare. Qui in se vult laudari, superbus est. Qui superbus non est, humilis est. Hæc virtus ab illo est qui cum esset altus humilis venit. Quid enim aliud docuit humiliando se *factus obediens usque ad mortem,*

mortem autem crucis? Quid aliud docuit solvendo quod non debebat ut nos á debito liberaret? Quid aliud docuit baptizatus qui peccatum non fecit, crucifixus qui reatum non habebat? Quid aliud docuit, nisi humilitatem? Inde et ille humilis magnus quo in natis mulierum nemo major surrexit, ille qui ita se humiliavit ut se indignum diceret solvere corrigiam calceamenti domini sui, Joannes ille Baptista, dans gloriam magistro suo, et ideo amico suo, eum Christus putaretur et ex eo superbire posset se extendere (non enim ipse se dixerat Christum sed poterat accipere hominum errorem hoc putantium, ultro istum honorem deferre volentium) respuit falsum honorem, ut inveniret veram gloriam. Utile nobis est capite quassato humiliter ambulare, quam capite erecto in judicium æternæ mortis incidere.

DOMINICA 3.ª ADVENTUS.

SERMO.

Miserunt Judæi ab Jerosolymis Sacerdotes et Levitas ad Joannem, ut interrogarent eum: Tu quis es?—S. Joan. *cap. 1.*

Sæpissime audivit Sanctitas vestra, et optime nostis, quoniam Joannes Baptista quanto præclarior erat in natis mulierum, et quanto humilior ad cognoscendum Dominum, tanto meruit esse amicus sponsi; sponso zelans, non sibi, non suum honorem quærens, sed judicis sui, quem tamquam præco præibat. Itaque Prophetis præcedentibus prænuntiare de Christo futura concessum est; huic autem digito ostendere. Sed quia quasi in nocte appáruit Dominus in corpore mortali, lucernam sibi accendit unde videretur. Ipsa lucerna Joannes erat; et præsens lectio Evangelii verba Joannis continet confitentis quod non ipse erat Christus. Tanta enim excellentia erat in Joanne, ut posset credi Christus: et probata est humilitas ejus, quia dixit se non esse cum posset credi esse.

Ait ergo Evangelium: *miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes et Levitas ad Joannem, ut interrogarent eum: tu quis es?* Non autem mitterent, nisi moverentur excellentia auctoritatis ejus. *Et confessus est, et non negavit.* Quid confessus est? *Et confessus est, quia non sum ego Christus.* Et interrogaverunt eum: *quid ergo? Elias es tu?* Et dixit: *non.* Noverant enim quia præcessurus erat Elias Christum. Non enim alicui incognitum erat nomen Christi apud Judæos. Istum non putaverunt esse Christum: non ommino Christum non esse venturum. Sed cum sperarent venturum, offenderunt in præsentem tamquam in humilem lapidem. Lapis enim ille adhuc parvus erat. Quia ergo nondum creverat, offenderunt in illum; et factum est in eis quod scriptum est: *qui ceciderit super lapidem istum, conquassabitur; et super quos ceciderit lapis ille, conteret eos.* Offenderunt in eum humilem, et quassati sunt: veniet excelsus, et conteret eos.

Sed timendum est, ne minus intelligentes contraria putent Joannem dixisse quam Christus dixit. Quodam enim loco, cum Dominus Jesus Christus in Evangelio quædam diceret de se, responderunt illi discipuli: quomodo ergo dicunt Scribæ, id est, periti Legis, quia Eliam oportet primum venire? Et ait Dominus: *Elias jam venit, et fecerunt ei quæ voluerunt: et si vultis scire, ipse est Joannes Baptista*: Dominus Jesus Christus dixit: *Elias jam venit, et ipse est Joannes Baptista*: Joannes autem interrogatus sic se confessus est Eliam non esse, quomodo nec Christum esse. Et utique sicut verum confessus est Christum se non esse, sic verum confessus est nec Eliam se esse. Quomodo ergo comparabimus dicta præconis cum dictis judicis?

Absit ut præco mentiatur: hoc enim loquitur quod audivit á judice. Quare ergo ille: *non sum Elias*, et Dominus: *ipse est Elias?* Quia in eo Dominus Jesus Christus

præfigurare voluit futurum adventum suum, et hoc dicere, quia in spiritu Eliæ erat Joannes. Et quod erat Joannes ad primum adventum hoc erit Elias ad secundum adventum. Quomodo duo adventus judicis, sic duo præcones. Si figuram præcursionis advertas, Joannes ipse est Elias: quod enim ille ad primum adventum, hoc ille ad secundum erit. Si proprietatem personæ interroges, Joannes, Joannes; Elias, Elias. Dominus ergo ad præfigurationem recte: ipse est Elias; Joannes autem recte ad propietatem: *non sum Elias*. Nec Joannes falsum, nec Dominus falsum: nec præco falsum, nec judex falsum; sed si intelligas.

Quis autem intelliget? Qui imitatus fuerit humilitatem præconis, et cognoverit celsitudinem judicis. Nihil enim humilius ipso præcone. Fratres mei; nullum tantum meritum Joannes habuit quam de ista humilitate quod cum posset fallere homines, et putari Christus, et haberi pro Christo, confessus est tamen aperte, et dixit: *non sum ego Christus*. Posset Joannes abuti errore hominum et non laborare persuadere se esse Christum, quia hoc jam illi, qui eum audiebant et videbant, illo non dicente putaverant. Non erat ei opus seminare errorem, sed confirmare. At ille sponsi amicus humilis, nec in sua superbia alienum est secutus errorem nec ausus est dicere: sum quod putatis: sed, quod bonum ei erat, se agnovit, ut ad pedes Domini, et ad corrigiam calceamenti servus humiliaretur, ne vento superbiæ lucerna extingueretur. *Non sum*, inquit, *dignus corrigiam calceamenti ejus solvere*. Si se dignum diceret, quantum se humiliaret? Nec hoc se dixit dignum. Lucerna enim erat, et vento superbiæ timebat extingui.

Ait etiam evangelium: *et dixerunt ei qui misi fuerant: Propheta es tu? Et respondit: non.* Dixerunt ergo ei: *quis es tu? ut responsum demus his qui miserunt nos. Quid dicis de teipso? Ait: ego vox clamantis in deser-*

to. Isaias illud dixit. In Joanne prophetia ista impleta est: ego vox clamantis in deserto. Quid clamantis? *Dirigite viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri.* Non vobis videtur præconis esse dicere: exite, facite viam? Nisi quod præco: exite, dicit: Joannes dicit: venite. A judice repellit præco, ad judicem vocat Joannes. Immo vocat Joannes ad humilem, ne judex sentiatur excelsus. *Ego vox clamantis in deserto: dirigite viam Domini,* sicut dixit Isaias Propheta. Non dixit: ego sum Joannes, ego sum Elias, ego sum Propheta. Sed quid dixit? Hoc vocor, *vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini.* Ego sum ipsa prophetia. Collige ergo tamquam in unum omnes voces, quæ præcesserunt Verbum, et eas omnes constitue in persona Joannis. Ideo proprie dictus est vox, tamquam omnium vocum signaculum atque mysterium.

Fuerunt quidem Prophetæ ante Joannem, et multi et magni, et sancti, digni Deo, Deo pleni; Salvatoris prænuntiatores, veritatis attestatores. Verumtamen de nullo eorum dici potuit quod dictum est de Joanne: *in natis mulierum nemo surrexit major Joanne Baptista.* Quid ergo sibi vult ista magnitudo præmissa ante magnum? Ad testimonium magnæ humilitatis. Missus est summus homo, qui testimonium perhiberet ei, qui plus esset quam homo. Quando enim ille, quo nemo major exurrexit in natis mulierum, dicit: *non sum ego Christus,* et humiliat se Christo, aliquid plus homine intelligendus est. Nam si quæris summum hominem Joannem, plus homine Christus est. Sic intellige præcursorem, ut quæras judicem, sic audi præconem, ut timeas judicem. Missus est, prædixit venturum. Et quale testimonium Joannes perhibet Christo? Quale audi: *cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere.* Intellexit quid ageret; nam *omnis qui se humiliat, exaltabitur.* Humilietur ergo homo, ut exaltetur Deus.

Humilitatem sectemur, fratres mei. Cum enim christianis omnibus custodienda sit humilitas, quandoquidem á Christo christiani appellantur, cujus Evangelium nemo diligenter intuetur, qui non eum doctorem humilitatis inveniat, tum maxime virtutis hujus sectatores et conservatores esse convenit, qui magno aliquo bono cæteris eminent. Hinc ergo magnitudo Joannis maxime commendatur; quia cum possit putari Christus, maluit Christo testimonium perhibere, illum commendare, se humiliare, quam pro ipso accipi, et á se decipi. Merito igitur dictus est amplius quam Propheta. Magnus esse vis? A minimo incipe. Videte Joannem facientem quod scriptum est: *quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.* Humilietur ergo homo, ut exaltetur Deus.



DOMINICA 4.ª ADVENTUS.

SERMO.

Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini.—*S. Luc. 3.*

Prophetia quæ ab antiquis temporibus dispensatur, ad salutem omnium gentium pertinet. Ad solum quidem populum Israel missus est Moyses, et ei soli populo per eum Lex data est, et ipsi Prophetæ ex illo populo fuerunt, et ipsa distributio temporum secundum eundem distincta est: sed tamen quod illa prophetia etiam cæteris gentibus annuntiabatur, manifestum est: quandoquidem Christus in eo occultus erat, in quo benedicuntur omnes gentes, sicut promissum est Abrahæ, dicente Domino: *in semine tuo benedicentur omnes gentes.* Venit jam Christus ex semine Abrahæ: de populo Israel nata est Virgo María, quæ peperit Chistum; et ecce benedictæ sunt in Christo omnes gentes. Quid verius? quid certius? quid apertius? Ergo omnibus gentibus dispensabatur prophetia.

Ab ipso prorsus exordio generis humani non cessabit se Christus prophetare, et venturum prænuntiare. Ei præbentes obsequium et testimonium, omnes Prophetæ prænuntiantes eum ante ipsum nascendo venerunt. Oportebat enim ut prænuntiaretur venturus, mi-

racula facturus: quibus miraculis, bene intelligentibus indicaretur Deus; humano autem aspectu videntibus appareret homo, parvus ad parvos, sed humilis ad superbos: parvitate sua docens hominem, ut se agnosceret parvum; ne, non grandescendo, sed tumescendo se crederet magnum. Prophetæ enim annuntiabant Christum pleni Christo: et illi venturum præcedebant, quos præcedentes non deserebat. Ipsi erant montes, qui illuminabantur á Deo: et primitus illuminabantur, ut ab ipsis lumen descenderet ad valles, vel ad colles, quia non tantæ sunt altitudinis, quantæ sunt montes.

Sed, ut ait Dominus: *Lex et Prophetæ usque ad Joannem Baptistam.* Hic Propheta, immo amplius quam Propheta, prænuntiari meruit per alium Prophetam. De illo namque dixit Isaias quod nobis hodie in Evangelio lectum est: *vox clamantis in eremo: parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt tortuosa in directum, et aspera in vias planas: et videbit omnis caro salutare Dei.* Videtur ergo Joannes interjectus quidam limes Testamentorum duorum, veteris et novi. Sustinet enim personam vetustatis, et præconium novitatis. Propter personam vetustatis, de senibus nascitur: propter personam novitatis, in visceribus matris Propheta declaratur. Nondum enim natus, ad sanctæ Mariæ adventum exultavit in utero Matris. Jam ibi designatus erat, designatus antequam natus: cujus præcursor esset ostenditur, antequam ab eo videretur.

Joannes de se dixit: *ego vox clamantis in eremo.* Hoc est dicere: de me prædictum est á Propheta, quod ego futurus eram vox clamans in eremo. Sequitur: *parate viam Domino.* Tamquam diceret: ego ideo sono, ut illum in cor introducam; sed quo introducam non dignatur venire, nisi viam præparetis. Quid est: viam parate, nisi congrue supplicate? Quid est: viam pa-

rate, nisi humiliter cogitate? *Omnis vallis implebitur, omnis humilitas exaltabitur: et omnis mons, et collis humiliabitur*, omnis superbia dejicietur. Depone montes, imple valles, et facta est campi æqualitas. Da mihi divites et honoratos; ipsi audiant: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Da mihi pauperes desperatos, conscios infirmitatis suæ; credant in eum qui venit propter omnes. Illi erigantur, illi premantur. Venturus ille campum inveniat, non lapidem ubi pedem offendat. Ideo enim dicebat ipse Joannes: *parate viam Domino*, non mihi sed Domino á quo missus sum; non quod ego sum.

Quod autem ait Evangelium: *et videbit omnis caro salutare Dei;* hoc est dicere: et videbunt omnes homines Christum Dei. Salutare enim Dei Christus Dominus, teste sanctissimo illo sene Simeone, qui cum eum infantem accepisset in manus dixit: *nunc dimittis, Domine, servum tuum, secundum verbum tuum, in pace: quoniam viderunt oculi mei salutare tuum.* Acceperat enim responsum divinum, non se gustaturum mortem, nisi vidisset Christum Domini. Quale autem desiderium fuit in isto sene, tale fuisse credendum est in omnibus superiorum temporum Sanctis. Unde et Aggæus Propheta Dominum venturum prænuntians dixit: *et veniet desideratus cunctis gentibus;* et ipse Dominus discipulis ait: *multi Prophetæ et Reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt; et audire quæ auditis, et non audierunt.*

Hoc salutare Dei bonum erat ut ostenderetur omnibus hominibus; ideo in Psalmo legitur: *ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis*: quia cum David dixisset quodam loco: *Deus misereatur nobis et benedicat nos, illuminet vultum suum super nos, ut cognoscamus in terra viam tuam,* adjecit: *in omnibus gentibus salutare tuum.* Primo dixit: *ut cognosca-*

mus in terra viam tuam; et secutus est: *in omnibus gentibus salutare tuum.* Quasi diceretur ei: quæ est via quam cupis cognoscere? Homines ad viam veniunt, numquid via venit ad homines? Via nostra venit ad homines, invenit errantes, vocabit ad se extra ambulantes. In me, inquit, ambulate, et non errabitis. *Ego sum via, veritas et vita.* Ne diceres: ubi est via Dei? ad quam regionem ibo? quem montem ascendam? quos campos inquiram? Viam Dei inquiris? Salutare Dei est via Dei: et ubique hæc est, quia *in omnibus gentibus salutare tuum.*

Paremus, fratres mei, paremus viam Domino. Expectemus Dominum, et custodiamus vias ejus. Sed videamus quod *á Domino gressus hominis diriguntur, et viam ejus volet.* Ipse homo, ut velit præparare viam Domini, ab ipso Domino diriguntur gressus ejus. Nam si Dominus non dirigeret gressus hominis, tam pravi erunt, ut semper per prava irent, et semitas curvas sequendo redire non possent. Agnoscamus quo eamus, agnoscamus qua eamus. Deus enim non venit ad homines, nisi mundaverint viam fidei, qua veniat ad eos. Fides recta, via recta; sed fides humilitatem habet. Ad superbos Dominus non accedit. Altus est Deus: humilis sit christianus, si vult ut altus Deus vicinetur sibi. Humiliato enim appropinquat; ab exaltato autem longe discedit. Vallis humilitatem significat, mons celsitudinem significat. Simus ergo hîc humiles, si volumus ibi esse excelsi, ubi Christus excelsus est. Surgere volumus; sed primo sedeamus: ut surgentes ab humilitate, perveniamus ad regnum.



DOMINICA INFRA-OCT. NATIVIT.

SERMO.

Erat Joseph, et Maria mater Jesu, mirantes super his, quæ dicebantur de illo.—*S. Luc.* 2.

Tres vitæ sunt in Ecclesia membrorum Christi: virginalis, conjugalis, vidualis. Virginalis enim integritas, et per piam continentiam ab omni concubitu immunitas angelica portio est, et in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Profecto habebunt magnum aliquid præter cæteros in communi immortalitate, qui habent aliquid jam non carnis in carne. Et si pudicitia, quamvis custodiatur in carne, animo tamen, non carni tribuitur; quanto magis, quantoque honoratius in animi bonis illa continentia numeranda est, qua integritas carnis ipsi Creatori animæ et carnis vovetur, consecratur, servatur? Cum enim Ecclesia universa sit sancta et corpore et spiritu, nec tamen universa sit corpore virgo, sed spiritu; quanto sanctior est in his membris, ubi virgo est et corpore et spiritu?

Matrimonium autem ex hoc appellatum est, quoniam non ob aliud debeat femina nubere, quam ut mater fiat. Omnino ergo errant qui propterea putant instituta esse conjungia, ut decessio mortuorum supple-

retur successione nascentium. Instituta sunt namque conjugia, ut filios patribus, et patres filiis certos faceret pudicitia feminarum. Nam et permixto usu atque indiscreto quarumque mulierum homines nasci possent: sed certa necessitudo inter patres et filios esse non posset. Ideo Dominus, ubi dixit Sadducæis, cum de resurrectione loqueretur: *erratis non scientes Scripturas, neque virtutem Dei: in resurrectione enim neque nubent, neque uxores accipient,* neque enim morientur; non ideo hoc dixit, ut propter morientes ostenderet nuptias institutas: sed quia sanctorum numero impleto, non opus esset aliquem nasci ubi necesse esset neminem mori.

Tantum enim bonum est fidelis conjugii, ut etiam ipsa corpora conjugatorum membra sint Christi. Hoc autem bono quoniam melius est bonum continentiæ vidualis, non hac professione id agitur, ut aliquid plus sit catholica vidua quam membrum Christi; sed ut meliorem quam conjugata locum habeat inter membra Christi. Dicit enim Apostolus: *corpus vestrum templum in vobis est Spiritus Sancti, quem habetis á Deo, et non estis vestri, empti enim estis pretio magno.* Corpus fidelium et membra Christi esse dixit, et templum Spiritus Sancti; ubi profecto utriusque sexus fideles intelliguntur. Ibi sunt nuptæ, ibi et innuctæ; sed distinctæ meritis et tamquam membris membra prælata, quorum tamen neutra sint á corpore separata. Bonum est ergo pudicitia vitæ conjugalis; sed melius bonum est continentia vitæ vidualis. Hoc enim melius illius boni submissione honoratur: non illud bonum melioris hujus laude damnatur.

Omnes istæ vitæ tres, virginalis, conjugalis, vidualis, quia ipsæ pudicitiæ futuræ erant in sanctis membris Christi, attestatæ sunt Christi adventum. Prima virginalis: Maria Virgo nostrum peperit Salvatorem. Virgo

ante conjugium, virgo in conjugio; virgo pregnans, virgo lactans. Illum enim solum virginitas decenter parere posset, qui in sua nativitate parem habere non posset. Secunda conjugalis: quando Maria Virgo concepit, Elisabeth uxor Zachariæ et ipsa conceperat; hujus Judicis præconem ferebat in utero. Venit ad eam sancta Maria, tamquam ad cognatam suam salutandam. Exultavit infans in utero Elisabeth. Ille exultavit illa prophetavit. Habes etiam attestantem pudicitiam conjugalem. Ubi vidualis? In Anna. Audistis modo cum Evangelium legeretur. Et ipsa vidua agnovit Christum. Vidit parvum, agnovit magnum. Et ipsa attestata est. Habes et in ista vitam vidualem. Eligat sibi quisque de istis tribus quam voluerit. Qui præter istas esse voluerit, in membris Christi esse non disponit. Si pudicitiam virginalem quærit, habet Mariam: si conjugalem, habet Elisabeth: si vidualem, habet Annam.

Meritum porro Annæ illius eo maxime commendatur, quia cum tam cito extulisset virum, per prolixam ætatem suam diu cum carne conflixit, et vicit. Sic enim de ea scriptum est in Evangelio: *et erat Anna prophetissa filia Phanuel, de tribu Asser: hæc processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem á virginitate sua, et hæc vidua usque ad annos octoginta quator, quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die.* Videtis quemadmodum sancta vidua eo prædicatur, quod paucos annos cum marito vixerit á virginitate sua, et vidualis continentiæ munus usque ad tantam senectutem tanta pietatis servitute perduxerit. Noverat enim jam tempus esse, quo Christo non officio pariendi, sed studio continendi, nec conjugalibus fœtandis visceribus, sed castificandis vidualibus melius serviretur.

Ideo enim Anna illa beata fuit quia et prophetissa Christi esse meruit: quam credendum est, etiam si filios

nullos habuit, quod quidem Scriptura reticendo reliquit incertum, eo Spiritu prævidisse Christum ex virgine proxime esse venturum, quo potuit agnoscere et parvulum. Unde merito etiam sine filiis, si tamen eos non habuit, secundas nuptias recusavit; et frequentans templum Domini, serviebat ei in orationibus nocte et die. Nonne agnoscitis istam viduam in Evangelio, fratres mei, cum diceret Dominus oportere s*emper orare*, *et non deficere?* Quod enim majus oportuit esse negotium viduitatis suæ, quam persistere in oratione nocte ac die? Apostolus etiam dixit: *quæ autem vere vidua est et desolata*, *speravit in Domino et persistit in oratione nocte ac die.*

Exultate ergo, virgines Christi, consors vestra est Mater Christi. Christum parere non potuistis, sed propter Christum parere noluistis. Verumtamen si verbi ejus memineritis, sicut meminisse debetis, estis etiam vos matres ejus, quia voluntatem facitis Patris ejus. Ipse enim dixit: *quicumque facit voluntatem Patris mei*, *ipse mihi frater et soror et mater est.* Exulta, castitas nuptialis, omnes fideliter viventes cum conjugibus vestris; quod amisistis in corpore, in corde servate. Ubi jam non potest esse á concubitu caro integra, sit in fide virgo conscientia. Exultate etiam, viduæ Christi: qui fæcundam fecit virginitatem, illi vovistis continentiæ sanctitatem. In Maria Christum pia virginitas peperit: in Elisabeth Christo conjugalis castitas et anilis fæcunditas militavit: in Anna Christum viduitas parvum grandeva cognovit. Omnes gradus fidelium membrorum capiti contulerunt, quod ipsius gratia conferre potuerunt. Omnes unanimes, castis mentibus et affectibus adventum Domini celebremus: ut qui propter nos formam servi accepit, in illo libertatem accipiamus; qui propter nos de terra ortus est, in illo cælum possideamus.

DOMINICA 1.ª POST EPIPHANIAM.

SERMO.

Ecce Pater tuus et ego dolentes quærebamus te.—*S. Luc. 2.*

Dominus noster Jesus Christus, quando parat homines Evangelio, nullam excusationem vult interponi carnalis temporalisque pietatis. Hæc quidem et lex Dei habet; et Paulus apostolus in epistola sua posuit, et dixit: *hoc est mandatum primum in repromissione.* Quod? *Honora patrem tuum, et matrem tuam.* Volebat quidam juvenis obtemperare Deo et sepelire patrem suum: sed est locus, et est tempus, et est res, quæ huic rei, huic tempori, huic loco serviat. Honorandus est pater, sed obediendum est Deo. Amandus est generator, sed præponendus est Creator. Ego, inquit, ad Evangelium te voco, ad aliud opus mihi necessarius est: majus est hoc quam quod vis facere. *Sine mortuos sepelire mortuos suos.* Pater tuus mortuus est: sunt alii mortui qui sepeliant mortuos. Mortui sepelientes mortuos qui sunt? Potestne mortuus á mortuis sepiliri? Quomodo involvunt, si mortui sunt? Quomodo portant, si mortui sunt? Quomodo plangunt, si mortui sunt? Et involvunt, et portant, et plangunt, et mortui sunt, quia infideles sunt.

Docuit nos Dominus quod scriptum est, in Cantico Canticorum, dicente Ecclesia: *Ordinate in me charita-*

tem. Quid est: Ordinate in me charitatem? Facite gradus, et cuique quod debetur restituite. Nolite anteriora posterioribus subdere. Amate parentes, sed præponite Deum parentibus. Attendite nunc Evangelio. *Cum esset,* inquit, *duodecim annorum Dominus Jesus Christus secundum hominem*, qui secundum Deum est ante tempora et sine tempore, *remansit à parentibus suis in templo, et disputabat cum senioribus, et admirabantur super doctrina ejus.* Illi autem redeuntes de Jerosolymis quæsierunt illum in comitatu suo, inter eos scilicet qui secum ambulabant, et non eum invenientes, turbati redierunt Jerosolymam, eumque disputantem in templo cum senioribus invenerunt, cum esset, ut dixi, annorum duodecim. Sed quid mirum? Verbum Dei nunquam tacet, sed non semper auditur. Invenitur ergo in templo, et dicit ei mater ejus: *quid nobis fecisti sic? Pater tuus et ego dolentes quœrebamus te.* Et ille: *non sciebatis quia oportet me in his esse quœ Patris mei sunt?* Hoc propterea dixit, quia Filius Dei erat in templo Dei. Nec enim sic se volebat esse filium illorum; ut non intelligeretur Filius Dei.

Dominus et Salvator noster Jesus Christus, verus et verax Dei Filius, verus et verax hominis filius, quod utrumque de se ipse testatur, et de vero Deo divinitatis æternitatem, et de vero homine carnis originem duxit. Audite Apostolum Paulum; *primus homo,* inquit, *de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Qualis terrenus, tales et terreni: qualis celestis tales et cœlestes. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem ejus qui de cœlo est.* Primus itaque homo de terra terrenus, ille Adam de limo formatus: secundus autem homo de cœlo cœlestis, Dominus Jesus Christus; quia Filius Dei venit ad carnem, qua suscepta et homo exterius fieret, et Deus interius permaneret; ut et Filius Dei verus esset, per quem facti sumus, et hominis filius verus fierit per quem refecti sumus. Sicut

enim nemo nascitur, nisi operante concupiscentia carnali; quæ tracta est ex primo homine, qui est Adam; sic et nemo renascitur, nisi operante gratia spiritali, quæ data est per secundum hominem, qui est Christus. *Semetipsum exinanivit*, inquit Apostolus, *formam servi accipiens*. Sic se exinanivit formam servi accipiens, non formam Dei amittens. Forma servi accesit, non forma Dei discessit.

Sed non est prætermitenda, fratres, maxime propter disciplinam feminarum sororum nostrarum, tam sancta modestia Virginis Mariæ. Christum pepererat, Angelus ad eam venerat, et dixerat ei: *ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus; et Filius Altissimi vocabitur.*

Meruerat parere Filium Altissimi, et erat humillima nec se marito, nec in ordine nominis præferebat, ut diceret: ego et pater tuus, *sed pater tuus*, inquit, *et ego*. Non attendit sui uteri dignitatem, sed attendit ordinem conjugalem. Non enim humilis Christus matrem suam superbire docuisset. *Pater tuus et ego dolentes quærebamus te*. Pater tuus, inquit, et ego; quia caput mulieris vir. Quanto minus debent superbire ceteræ feminæ? Nam et ipsa Maria mulier dicta est, non corrupta virginitate, sed appellatione propria gentis suæ. Audi evidentissimum exemplum: Prima femina, quam fecit Deus sumptam de latere viri, ante quam cum viro concumberet, quod postea quam de paradiso exierunt scribitur factum, tamen mulier jam vocabatur, dicente Scriptura: *Formavit eam in mulierem.*

Quod ergo respondet Dominus Jesus Christus: *oportebat me esse in his quæ Patris mei sunt*; non sic indicat Patrem Deum, ut neget patrem Joseph. Unde hoc probamus? Secundum Scripturam, quæ sic ait: et dixit ad illos: *non sciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse? Illi autem non intellexerunt quid illis*

locutus est. Et cum descendisset cum illis, venit Nazareth, et erat subditus illis. Non dixit: erat subditus matri, aut erat subditus ei; sed erat, inquit, subditus illis. Quibus subditus erat? Nonne parentibus? Ambo parentes erant, quibus ille subditus erat, ea dignatione qua filius hominis erat. Sicut enim Maria sine carnali concupiscentia mater, sic Joseph sine carnali commixtione pater. Justus vir, justa femina. Spiritus Sanctus in amborum justitia requiescens, ambobus filium dedit. Sed in eo sexu quem parere decebat, operatus est hoc, quod etiam marito nasceretur. Non ergo de semine Joseph Dominus, quamvis hoc putaretur: et tamen pietati et charitati Joseph natus est de Maria Virgine Filius, idemque Filius Dei: Jam dudum præcepta feminæ accipiebant, nunc pueri accipiant, ut obsequantur parentibus, eisque sint subditi: Christo mundus subditus, Christus parentibus subditus.

Videtis ergo fratres, quod non ita dixerit: *oportet me in his quæ Patris mei sunt esse*, ut intelligeremus quasi dictum: vos non estis parentes mei. Sed parentes illi temporaliter, Pater ille sempiterne. Parentes illi filii hominis, Pater ille Verbi et sapientiæ suæ, Pater Virtutis suæ, per quem cuncta formavit. Si per illam formantur universa, *quæ attingit á fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter;* per Filium Dei et illi formati sunt, quibus idem ipse postea filius hominis subderetur. Nihil tam expedit animæ quam obedire. Obedientia quippe est in hominibus et in omni rationali creatura omnis justitiæ origo atque perfectio; ita ut duorum hominum, id est, Adam qui fuit caput mortis nostræ, et Christi qui est caput salutis nostræ, hæc commendetur magna distinctio, quia *sicut per inobedientiam unius hominis pecatores constituti sunt multi, ita et per obedientiam unius hominis justi constituentur multi.* Et si expedit animæ obedire, in servo ut obediat domino, in filio ut obediat patri, in uxore ut obediat viro, quanto magis in homine ut obediat Deo?

DOMINICA 2.ª POST EPIPHANIAM

SERMO.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.—*S. Joan. 2.*

Scitis, fratres, in Christum enim credentes didicistis, et assidue etiam nos, ministerio nostro commendamus vobis quod medicina tumoris hominis humilitas est Christi. Non enim perisset homo, nisi superbia tomuisset. *Initium enim*, sicut Scriptura dicit, *omnis peccati, superbia.* Contra initium peccati, initium justitiæ necessarium fuit. Si ergo initium omnis peccati superbia; unde sanaretur tumor superbiæ, nisi Deus dignatus esset humilis fieri? Erubescat homo esse superbus, quoniam factus est humilis Deus. Nam quando dicitur homini ut humiliet se, dedignatur: et ut velint homines vindicari quando læduntur, superbia facit. Cum humiliari dedignantur, vindicari volunt: quasi pæna cuique prodesse possit aliena. Læsus et injuriam passus, vindicari vult: de aliena pæna sibi quærit, medicamentum, et adquirit grande tormentum. Ideo in omnibus Dominus Christus humiliari dignatus est præbens novis viam: si tamen dignemur ambulare per eam.

Ecce inter cætera Filius virginis venit ad nuptias, qui cum apud Patrem esset, instituit nuptias. Quomodo facta

est prima mulier per quam venit peccatum, de viro sine femina; sic vir per quem deletum est peccatum, de femina sine viro. Per illum ruimus; per hunc surgimus. Quod enim Dominus invitatus venit ad nuptias, etiam excepta mystica significatione, confirmare voluit quod ipse fecit nuptias. Futuri enim erant de quibus dixit Apostolus, prohibentes nubere, et dicentes quod malum essent nuptiæ, et quod diabolus eas fecisset: cum idem Dominus dicat in Evangelio, interrogatus utrum liceat homini dimittere uxorem suam ex qualibet caussa, non licere excepta caussa fornicationis. In qua responsione, si meministis hoc ait: *quod Deus conjunxit homo non separet.* Et qui bene eruditi sunt in fide catholica, noverunt quod Deus fecerit nuptias, et sicut conjunctio á Deo, ita divortium á diabolo sit. Sed propterea in caussa fornicationis licet uxorem dimittere, quia ipsa esse uxor prior noluit, quæ fidem conjugalem marito non servavit.

Nec illæ quæ virginitatem Deo vovent, quamquam ampliorem gradum honoris et sanctitatis in Ecclesia teneant, sine nuptiis sunt: nam et ipsæ pertinent ad nuptias cum tota Ecclesia, in quibus nuptiis sponsus est Christus. Ac per hoc ergo Dominus invitatus venit ad nuptias, ut conjugalis castitas firmaretur, et ostenderetur Sacramentum nuptiarum: quia et illarum nuptiarum sponsus personam Domini figurabat. Verbum enim sponsus, et sponsa caro humana et utrunque humus filius Dei, et idem filius hominis: ubi factus est caput Ecclesiæ, ille uterus virginis Mariæ thalamus ejus, inde processit tamquam sponsus de Thalamo suo sicut Scriptura prædixit, *et ipse tamquam sponsus procedens de Thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam.* Processit ut sponsus, exultavit ut gigas. Pulcher et fortis: pulcher ut sponsus; fortis ut gigas. Pulcher ut ametur; fortis ut timeatur. Pulcher ut placeret; fortis ut vinceret. De Thalamo enim processit velut sponsus, et invitatus venit ad nuptias.

Et quid in ipsis nuptiis fecit Dominus? De aqua vinum. Quid potentius? Qui poterat talia facere, dignatus est indigere. Qui fecit de aqua vinum, portuit facere et de lapidibus panem. Eadem potentia erat: sed tunc diabolus tentavit ideo Christus non fecit. Scitis enim quia quando tentatus est Dominus Christus, hoc ei suggesit diabolus. Esuribit enim, quia et hoc dignatus est, quia et hoc ad humilitatem pertinuit. Esuribit panis, sicut defecit via; vulnerata est sanitas, sicut mortua est vita. Cum ergo esuriret ut nostis, ait illi tentator: *si Filius Dei es, dic lapidibus istis ut panes fiant.* Et respondit tentatori, docens te respondere tentatori. Ad hoc enim pugnat imperator, ut milites discant. Quid respondit? *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei.* Et non fecit de lapidibus panes, qui utique sic potuit facere, sicut de aqua vinum. Ejusdem enim potentiæ est facere de lapide panem: sed non fecit, ut voluntatem contenneret tentatoris. Aliter enim tentator non vincitur, nisi contemnatur. Et cum vicisset diabolum tentatorem, venerunt Angeli, et ministrabant ei.

Qui ergo tantum poterat, quare non fecit de lapidibus panes, et fecit de aqua vinum? Lege, immo recole quod modo audisti, quando fecit hoc. Quid addidit Evangelista? *Et crediderunt in eum discipuli ejus.* Numquid tunc diabolus fuerat crediturus? Sed est et aliud quod in hoc miraculo recordari debemus. *Deficiente vino,* ait Evangelista, *dicit mater Jesu ad eum: vinum non habent. Et dicit et Jesus: quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea.* Quid est hoc, fratres? Ideone venit Dominus ad nuptias, ut doceret matres contemni? Procul dubio latet ibi aliquid. Nam tanta res est, ut quidam, quos cavendos præmonuit Apostolus dicens, *timeo ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, sic et vestræ mentes corrumpantur á simplicitate et castitate, quæ est in Christo,* derogantes Evangelio, et di-

centes quod Jesus non sit natus de Maria Virgine, hinc argumentum sumere conentur erroris sui, dicerent: quomodo erat mater ejus cui dixit: *quid mihi et tibi est, mulier?*

Detestandi enim illi sunt, qui Dominum nostrum Jesum Christum matrem Mariam in terris habuisse negant, cum illa dispensatio utrumque sexum, et masculinum et femininum honoraverit, et ad curam Dei pertinere monstraverit, non solum quem suscepit, sed illum etiam per quem suscepit, virum gerendo, nascendo de femina. Nec nos ad negandam Christi matrem cogit quod ab eo dictum est: *quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea.* Sed admonet potius ut intelligamus secundum Deum non eum habuisse matrem, cujus majestatis personam parabat ostendere aquam in vinum vertendo. Quod autem crucifixus est, secundum hominem crucifixus est, et illa erat hora, quæ nondum venerat, quando dictum est: *mihi et tibi quid est? nondum venit hora mea*, id est, qua te cognoscam. Tunc enim ut homo crucifixus cognovit hominem matrem, et dilectissimo discipulo humanissime commendavit.

Nec illum nos moveat, quod cum ei nuntiaretur mater ejus, et fratres, respondit: *¿quœ mihi mater, aut qui sunt fratres mei? Et extendes manum super discipulos suos, ait: hi sunt fratres mei, et quicumque fecerit voluntatem patris mei, ipse mihi frater et mater, et soror est.* Sed potius doceat ministerium nostrum, quo verbum Dei fratribus ministramus, ferentes. Cum impediunt, non eos debere cognosci. Quid enim aliud nos docuit, nisi carnali cognatione genus nostrum Spiritale præponere: nec inde beatos esse homines, si justis et sanctis carnis propinquitate juguntur, sed si eorum doctrinæ ac moribus obediendo atque imitando cohærescunt? Beatior ergo Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi. Nam et di-

centi cuidam, *beatus venter qui te portavit:* ipse respondit, *immo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt.* Denique fratribus ejus, id est, secundum carnem cognatis, qui non in eum crediderunt, quid profuit illa cognatio? Sic et materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde quam carne gestasset.

Imitamini, fratres, Christi humilitatem. Ut omnium morborum caussa curaretur, id est superbia, descendit et humilis factus est filius Dei. Tanta enim nos pressit humana superbia, ut nos non posset nisi humilitas sublevare divina. Doctor iste humilitatis venit non facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui misit illum. Veniamus ergo ad eum, intremus ad eum, incorporemur ei, ut nec nos faciamus voluntatem nostram, sed voluntatem Dei. Ubique nobis humilitas magistri boni diligentissime commendatur. Quando quidem et salus nostra in Christo humilitas Christi est. Nulla enim salus nostra esset, nisi Christus humilis pro nobis fieri dignatus esset. Meminerimus de nobis ipsis non esse præfidendum. Deo commendemus quod habemus: ab illo imploremus quod minus habemus. Qui tanta potuit, esurivit, sitivit, fatigatus est, dormivit, comprehensus est, cæsus est, crucifixus est, occisus est. Ista est via: ambulemus per humilitatem, ut veniamus ad eternitatem.



DOMINICA 3.ª POST EPIPHANIAM.

SERMO.

Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanábitur púer meus.—*S. Matt. 8.*

Audivimus, cum Evangelium legeretur, fidem nostram in humilitate laudari. Ad domum quippe centurionis cum se promitteret Dominus Jesus iturum ut puerum ejus sanaret, ille respondit: *non sum dignus, ut sub tectum meum intres; sed tantum dic Verbum, et sanabitur:* Sic interius præsentem corde retimebat cujus á suo tecto præsentiam honorifice revocabat. Dicendo se indignum, præstitit dignum, non in cujus parietes, sed in cujus cor Christus intraret. Neque hoc diceret cum tanta fide et humilitate, nisi illum, quem timebat intrare in domum suam corde gestaret. Tecto non recipiebat quem jam corde receperat. Quanto humilior, tanto capacior, tanto plenior. Colles enim aquam repellunt, valles implentur. Neque enim erat magna felicitas, si Dominus Jesus intraret in parietes ejus, et non esset in pectore ejus. Magister quippe humilitatis et verbo et exemplo, discubuit in domo cujusdam Pharisæi superbi, nomine Simonis. Et cum in domo ejus recumberet, non erat in corde ejus ubi caput filius hominis reclinaret.

Ita enim quemdam superbum, quantum intelligitur ex verbis ipsius Domini, ultro secum ire cupientem, á suo discipulatu revocabit. *Sequar te Domine,* ait, *quocumque ieris.* Et Dominus in ejus corde invisibilia videns, *Vulpes,* inquit, *foveas habent, et volatilia cœli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Hoc est, habitant in te insidiæ sicut vulpes, habitat superbia sicut cœli volatilia: filius autem hominis simplex contra insidias, humilis contra superbiam, non habet ubi caput suum reclinet. Et ipsa reclinatio capitis, non erectio, humilitatis magistra est. Revocat ergo istum ire cupientem, trahit alium recusantem. Eodem quippe loco ait cuidam, *sequere me.* Et ille, *sæquor te, Domine; sed sine me primo ire et sepelire patrem meum.* Pie quidem excusavit: et ideo dignior cujus excusatio removeretur vocatio firmaretur. Pium erat quod volebat facere: sed docuit magister quid deberet præponere. Volebat enim eum esse vivi verbi prædicatorem, ad faciendos victuros. Erant autem alii, per quos illa necessitas impleretur. *Sine,* inquit, *mortuos sepelire mortuos suos.* Infideles cadaver quando sepeliunt, mortui mortuum sepeliunt. Illius corpus animam perdidit; illorum anima Deum. Sicut enim vita corporis anima est: sic vita animæ Deus. Sicut expirat corpus, cum animam emittit: ita expirat anima, cum Deum amittit. Deus amissus, mors animæ: anima emissa, mors corporis. Mors corporis necessaria: mors animæ voluntaria.

Discumbebat ergo Dominus in domo Pharisæi cujusdam superbi. In domo ejus erat, ut dixi; et in pectore ejus non erat. In hujus vero Centurionis domum non intravit, et pectus possedit. Zacchæus vero Dominum et Domo suscepit et animo. Hujus tamen fides in humilitate laudatur. Dixit enim, *non sum dignus, ut sub tectum meum intres.* Et Dominus, *amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel:* secundum carnem. Nam et iste

jam Israëlites erat secundum spiritum. Venerat Dominus ad Israelem carnalem, id est, ad Judæos, ibi primum quærere oves perditas, in quo populo, et de quo populo etiam corpus assumserat: *non ibi inveni tantam fidem* ipse dicit. Possumus nos metiri fidem hominum, sicut homines: ille qui interiora cernebat, ille quem nemo fallebat, perhibuit testimonium cordi hominis, audiens verba humilitatis, pronuncians sententiam sanitatis.

Unde autem hoc præsumsit? *Et ego*, inquit, *homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic: Vade et vadit; et alii: Veni, et venit; et servo hoc meo: Fac hoc et facit.* Potestas sum quibusdam sub me positis, positus sub potestate quadam super me. Si ergo ego, inquit, homo sub potestate, jubendi habeo potestatem; quid tu possis, cui omnes serviunt potestates? Erat autem iste de gentibus: erat quippe centurio. Jam Judæa gens habebat militem Romani imperii. Ibi iste militem agebat, quantum agere centurio poterat, et sub potestate, et habens potestatem; subditus obediens, súbditos regens. Dominus autem, (quod intendat precipue necessario caritas vestra,) quamvis in populo Judaico esset, jam pronunciabat Ecclesiam toto orbe terrarum futuram, in quam erat missurus Apostolos: ipse á gentibus non visus et creditus, á Judæis visus et occisus. Quomodo enim domum hujus Dominus corpore non intravit, et ejus tamen fidem atque ipsam domum absens corpore, præsens majestate sanavit: sic in idem Dominus in solo Judæo populo corpore fuit: apud alias gentes nec de virgine natus est, nec passus est, nec pedibus ambulavit, nec humana pertulit, nec divina mirabilia fecit. Nihil horum in cœteris gentibus: et tamen de illo impletum est quod dictum erat, *populus quem non cognovi, servivit mihi*. Quomodo, si non cognovit? *In auditu auris obedivit mihi*. Judæa gens cognovit, et crucifixit: orbis terrarum audivit, et credidit.

Hanc quodam modo absentiam corporis sui et præsentiam virtutis suæ in omnibus gentibus, et in illa muliere significavit, quæ fimbriam vestimenti ejus tetigerat, cum requirit dicens, *Quis me tetigit?* Tamquam absens, requirit: tamquam præsens, sanat. *¿Turbæ te*, inquiunt discipuli, *comprimunt, et dicis, quis me tetigit?* Quasi enim sic ambularet, ut á nullo prosus corpore tangerentur, ita dixit, *quis me tetigit?* Et illi, *turbæ te comprimunt.* Et tamquam diceret Dominus, tangentem quæro, non præmentem. Sic etiam nunc est corpus ejus, id est, Ecclesia ejus. Tangit eam fides paucorum, premit turba multorum. Corpus enim Christi esse Ecclesiam, tamquam filii ejus audistis: et si vultis, ipsi estis. Apostolus multis locis hoc dicit: *pro corpore*, inquit, *ejus quæ est Ecclesia.* Et iterum: *vos autem estis corpus Christi et membra.* Si ergo corpus ejus sumus quod tunc Corpus ipsius ín turba patiebatur, hoc patitur Ecclesia ipsius. A turbis premitur: á paucis tangitur. Caro eam premit, fides tangit. Erigite igitur oculos, obsecro vos, qui habetis unde videatis. Habetis enim quod videatis. Erigite oculos fidei, tangite extremam fimbriam vestimenti, sufficiet ad salutem.

Videte quod audistis ex Evangelio tunc futurum, nunc præsens est. *Ideo*, inquit, *dico vobis:* propter laudatam Centurionis fidem, tamquam alienigenæ carne, domestici corde. *Propterea*, inquit, *multi ab Oriente et Occidente:* istis duabus partibus totus orbis designatur: *Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac et Jacob in regno cœlorum: filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Filii autem regni, Judæi scilicet. Unde filii regni? Quia legem acceperunt, ad quos Prophetæ missi sunt, apud quos templum et sacerdotium fuit, qui celebrabant figuras omnium futurorum. Quarum enim rerum figuras celebrarunt, præsentiam non agnoverunt. *Filii ergo regni*

ibunt, inquit, *in tenebras exteriores ibi erit ploratus et stridor dentium.* Videmus Judæos reprobatos, videmus Christianos ab Oriente et Occidente vocatos ad quoddam convivium celeste, ut recumbant cum Abraham, et Isaac et Jacob, ubi panis justitia, ubi potus sapientia.

Attendite ergo, fratres, hoc enim estis, ex hoc populo estis, jam tunc prædicto, nunc præsentato. De his utique estis, qui vocati sunt ab Oriente et Occidente recumbere in regno cœlorum. Ad verba Centurionis Dominus respiciens, ad sequentes se dixit: *amen dico vobis, in nullo inveni tantam fidem in Israel.* Hunc infirmum invenit, Israelitas fortes invenit. Propter hoc ergo, id est propter humilitatem, *multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum, filii autem regni ibunt in tenebras exteriores.* Ecce mortales sumus, ecce carnem putrescentem portamus, et sicut homines moriemur. Sed quid nobis proderit medicina mortalitatis, si in tanta infirmitate non humiliamur? In hoc ergo sæculo humilitatis mandatum suscipiamus, ut in alio sæculo exaltationem, quam promissit qui propter nos hic factus est humilis, accipere mereamur.



DOMINICA 4.ª POST EPIPHANIAM.

SERMO.

Ipse veró dormiebat.—*Matt. 8.*

De lectione recentissima sancti Evangelii donante Domino alloquor vos, et in illo exhortor, ut contra tempestates et fluctus sæculi hujus non dormiat fides in cordibus vestris. Hoc sæculum mare est: habet amaritudinem noxiam; habet fluctus tribulationum, tempestates tentationum: habet homines velut pisces de suo malo gaudentes, et tamquam se invicen devorantes. Quamobrem saluberrime admonemur averti ab hoc sæculo, et ad Deum tota alacritate converti. Sed sicut populus Hebreorum non ab Ægypto discessit, nisi divino liberatus auxilio; sic nemo corde ab hoc sæculo avertitur, nisi divinæ misericordiæ numere adjutus. Nemo enim potest transire mare hujus sæculi, nisi cruci Christi portatus. Hanc crucem aliquando amplectitur et infirmus occulis. Et qui non videt longe quo eat, non ab illa recedat, et ipsa illum perducet. Terribile mare hoc sæculum: insidiæ repunt, et in cautos repente occupant. Vigiletur ergo in ligno; etiam in aquis, etiam in fluctibus tuti sumus: non dormiat Christus, non dormiat fides; et si dormierit, excitetur; imperabit ventis, placabit mare.

Non enim re vera Dominus Christus mortem ha-

buit in potestate, somnum non habuit in potestate; et forte Omnipotentem navigantem somnus pressit invitum. Hoc si credideritis dormit in vobis: si autem in vobis vigilat Christus, vigilat fides vestra. Apostolus dicit: *habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Prorsus sic dixit Evangelista: dormivit Jesus; sic dixit: esurivit, sitivit, contristatus est, exhilaratus est, et si qua talia, omnia vera sunt, quæ ita narratæ sunt, ut non eum simulasse, sed plane fecisse vel exibuisse conscripta sint sane non necessitate conditionis, sed magisterii voluntate, et divina etiam potestate. Nam homo plerumque et si nolit esurit ac sitit: illi autem omnia ista fecit, quia voluit. Sic etiam nascuntur homines atque patiuntur, non quia volunt, nec quando volunt; ille autem etiam ista, quia voluit. Tamen vera hæc et de illo fideliter veraciterque conscripta sunt, ut quisquis Evangelio Ejus crediderit, veritate instruatur, non mendaciis illudatur. Quod enim illic semel præfiguratum est, hoc in isto fine sæculi, in hac, sicut beatus Joannes scribit, hora novissima, quotidianis Ecclesiæ fætibus in unoquoque credente completur.

Ergo et somnus Christi signum est sacramenti. Navigantes sunt animæ in ligno sæculum transeuntes. Etiam navis illa Ecclesiam figurabat. Et singuli quippe templa sunt Dei, et unusquisque in corde suo navigat: nec facit naufragium, si bona cogitat. Forte navis tua ideo turbatur, quia ille in te dormit. Sæviebat mare turbabatur navicula in qua discipuli navigabant; Christus autem dormiebat. Tandem aliquando visum est illis, quia inter illos Dormiebat ventorum imperator et creator; accesserunt et exitaverunt Christum: *imperavit ventis et mari, et facta est tranquilitas magna.* Meritio ergo turbatur cor tuum, quia excidit tibi in quem credideris: intolerabiliter pateris quia non venit tibi in mentem quid pro te pertulerit Christus. Si in mentem non tibi

venit Christus, dormit: excita Christum, recole fidem. Tunc enim in te dormit Christus, si oblitus es passionis Christi: tunc ín te vigilat Christus, si meministi passionum Christi: Cum autem pleno corde intuitus fueris quid ille fuerit passus, nonne æquo animo et tu tolerabis? et fortasse gaudens, quia inventus es in aliqua similitudine passionum Regis tui.

Horrenda tentatio, molesta, tremenda, omnibus viribus, omni virtute vitanda, quando nobiscum agitur ut vindicemus nos. Ira exasperatur; et frendet homo vindicari. Audisti convitium, ventus est: iratus es, fluctus est. Vento igitur flante, fluctu surgente, periclitatur navis, periclitatur cor tuum, fluctuat cor tuum. Audito convitio vindicari desideras: et ecce vindicatus es, et malo alieno cedens, fecisti naufragium. Et quare hoc? Quia dormit in te Christus. Quid est: dormit ín te Christus? Oblitus es Christum. Ille pro te impio et peccatore, ut tuæ iniquitates sui sanguinis effussione lavarentur, magno silentio et magna patientia traditorem suum pertulit: nonne imitaberis illum, ut et tu non reddas mala pro malis? Animadverte igitur et intellige quid pro te fecerit Dominus, ut ejus exemplo ad perfectionem proficias. Majoris enim patientiæ est, nec ei mala rependere, qui acceptis beneficiis reddit mala pro bonis, quam si nullo ante accepto beneficio nocere voluisset.

Exita ergo Christum, recordare Christum, evigilet in te Christus considera illum. Quid volebas? Vindicari. Excidit tibi, quia ipse etiam cum crucifigeretur dixit: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt?* Qui dormiebat in corde tuo, noluit vindicari. Excita illum, recole illum. Memoria ipsius verbum ipsius: memoria ipsius, jussio ipsius. Et dices apud te, si vigilat in te Christus: qualis ego homo, qui volo vindicari? Qui sum ego, qui in hominem exiero comminationes? Morior forte ante quam vindicer. Et cum anhelans ira imflammatus, et sitiens vin-

dictam exiero de corpore, non me suscipit ille qui noluit vindicari: non me suscipit ille qui dixit: *date, et dabitur vobis; dimittite et dimittetur vobis.* Ergo compescam me iracundia mea et redibo ad quietem cordis mei. *Imperavit* Christus *mari*, *facta est tranquillitas.*

Ne putetis autem quia nihil sit iracundia. *Turbatus est,* inquit Propheta, *præ ira oculus meus.* Utique cui turbatur oculus, solem videre non potest: et si conatus fuerit videre, pœna illi est, non voluptas. Quid est ira? Libido vindictæ. Libet hominem vindicari: et nondum est Christus vindicatus, nondum sunt sancti Martyres vindicati. Adhuc expectat patientia Dei, ut convertantur inimici Christi; convertantur Martyrum inimici: nos qui sumus ut vindictam quæramus? Si quæreret illam Deus de nobis, ubi remaneremus? Ille qui nihil nos læsit, non vult se vindicare de nobis: et nos quærimus vindicari, qui pene quotidie Deus offendimus? Ergo dimittete: dimittite ex corde. Iratus es, noli peccare: *Irascimini, et nolite peccare.* Irascimini quasi homines, si vincimini; et nolite peccare, ut iram in corde teneatis. (quia si tenetis, contra vos tenetis:) ne in illud lumen intretis. Ergo dimitte. Quid est ira? Libido vindictæ. Quid est odium? Ira inveterata. Ira inveterata si facta est jam odium dicítur. Quod videtur confiteri ille qui cum dixisset, *turbatus est præ ira oculus meus:* addidit, *inveteravi in omnibus inimicis meis.* Quod erat ira, cum esset nova, odium factum est; quia in vetustatem conversum est. Ira festuca est, odium trabes est. Aliquando reprehendimus irascentem et odium tenemus in corde; et dicit nobis Christus, *festucam in oculo fratris tui vides, et trabem in oculo tuo non vides.* Unde crevit festuca, ut trabem faceret? Quia non statim evulsa est.

Quod autem dixi ad iracundiam, hoc tenete regulariter in omnibus tentationibus vestris. Nata est tentatio ventus est: turbatus est, fluctus est. Excita Christum, lo-

quatur tecum. *Quis est hic, quando et venti et mare obediunt ei?* Quis est hic, cui obaudit mare? *Ipsius est mare, et ipse fecit illud. Omnia per ipsum facta sunt.* Magis imitare ventos et mare: obtempera Creatori. Sub jussione Christi mare audit, et tu surdus est? Mare audit, et ventus cessat, et tu sufflas? Nullum majus, nullum melius negotium est in tribulatione, quam recedere ab eo strepitu qui foris est, et ire in interiora mentis secretaria, et ibi Deum invocare, ubi nemo videt gementem et subvenientem. Sed tamen quia homines sumus, si ventus impulerit, si affectum animæ nostræ moverit, non desperemus: Christum excitemus ut in tranquillo navigemus, et ad patriam veniamus.



DOMINICA 5.ª POST EPIPHANIAM.

SERMO.

Dómine nónne bonum semen seminásti in agro tuo?
Unde ergo habet zizanía?—*S. Matt. 13.*

Non possumus negare, Fratres, plures esse malos in hoc mundo, et tam plures, ut inter eos prorsus boni non appareant, quomodo non apparent grana in area. Nam quisquis aream videt, potest putare quod palea sola sit. Da hominem inexpertum, et putat inaniter fieri quod vobes mittuntur, quod ibi homines subastu desudant ut conterant paleam; sed ibi est et massa ventilatione purganda. Tunc procedet copia frumenti, quæ latebat in copia palearum. Laborant modo boni inter zizania, inter paleas, inter spinas; sed ille ventilabit aream tantus artifex, ut unum granum tritici non cadat in acervum paleæ comburendum, nec una arista paleæ transeat ad massam in horreo recondendam. Boni quidem latent hic, quia bonum eorum intrus est, absconditum est, in corde est, ubi fides, ubi charitas, ubi spes, ubi thesaurus illorum. Sed in multitudine malorum, quamvis permixti lateant boni, novit tamen Dominus qui sunt ejus. Nolite ergo timere: tantus est artifex, ut purgare possit, perdere non possit.

Area est Ecclesia hujus temporis. Et paleam habet et frumentum. Nemo ergo quæratexire totam paleam, nisi tempore ventilationis. Nemo ante tempus ventilationis deserat aream, ne præter aream inventus, prius ab avibus colligatur quam ingrediatur in horreum. Quisquis malus est, non putet neminem bonum esse: quisquis bonus est, non arbitretur se solum bonum esse. Hæc cogitatio, Fratres, Eliam tentavit, tantum virum, et dixit ad Deum, sicut etiam Apostolus commemorat: *Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, et ego remansi solus, et quærunt animam meam.* Sed quid dicit illi responsum divinum? *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.* Non dixit ei: habes alios duos aut tres similes tibi. Noli, inquit, putare te solum. Alia, inquit, septem millia sunt, et te solum putas? Ecce repeto, videte quia dico: quisquis malus est, interrogans conscientiam suam, et male sibi renuntians non arbitretur neminem bonum esse: quisquis bonus est non arbitretur se solum bonum esse; et non timeat bonus in commixtione malorum, quia veniet tempus ut inde segregetur.

Toleranda sunt modo zizania usque ad finem messis, ne forte eradicando zizania, eradicetur simul et triticum. Ipse mixta tolerat qui seminavit. Si ante ventilationem frumentum vis esse purgatum, tuo vento pessime ventilaberis. Licuerit servis, juxta Evangelium, dicere Domino suo: *vis imus, et colligimus ea?* Stomachati enim sunt videndo zizania, et doluerunt segeti bonæ permixta zizania; et dixerunt: *nonne bonum semen seminasti? Unde ergo apparuerunt zizania?* Ille rationem reddidit unde apparuerunt; non tamen permisit ut ante tempus evellerentur. Quamvis et ipsi servi stomachati sunt adversus zizania, consilium tamen et præceptum a domino expetiverunt Displicebant illa inter segetem: sed videbant servi, quia si vel in ipsis zizaniis evellendis aliquid sua sponte

facerent, ipsi zízaniis annumerarentur. A domino expectaverunt præceptum, jussionem regis sui quæsierunt. *Vis, imus, et colligimus ea?* Et ille: non. Et reddidit inde caussam: *ne forte cum vultis colligere zizania, eradicetis simul et triticum.* Sedavit ab indignatione, nec reliquit in dolore.

Grave enim videbatur servis esse zizania inter frumentum; et vere grave erat. Sed alia est conditio agri, alia quies horrei. Tolera, ad hoc enim natus es: tolera, quia forte toleratus es. Si semper bonus fuisti, habeto misericordiam: si aliquando malus fuisti, noli perdere memoriam. Et quis est semper bonus? Facilius, si te Deus diligenter discutiat, inveniet te etiam nunc malum, quam tu te semper bonum. Unde rectissime dicitur: *Nemo bonus, nisi unus Deus.* Nullus enim eum fecit bonum, sed á se ipso bonus est. Secundum quendam modum omnes mali sumus: secundum autem quendam modum non omnes boni sumus. Sed quantumcumque fueris bonus, non eris sine aliquo malo. Ergo toleranda sunt zizania hæc inter frumentum. Quid autem ille Dominus dixit de frumento? *In tempore,* inquit, *messis dicam messoribus: colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum ea, triticum autem meum recondite in horreo.* Transiet ergo agri concretio, veniet messis discretio. Exigit de nobis modo Dominus patientiam, quam proponit in se dicens tibi: ego certe, si modo voluero judicare, numquid inique judicabo? Ego si modo voluero judicare, numquid falli potero? Si ego qui semper recte judico, et qui falli non possum, differo judicium meum, tu ignorans quemadmodum judicandus sis, audes tam prepostere judicare?

Videte, fratres, quemadmodum illis servis volentibus ante tempus eradicare zizanias, hoc opus nec in messe concessit. Ait enim: *in tempore messis dicam messoribus:* non ait: dicam vobis. Sed quid, si ipsi servi mes-

sores erunt? Non. Nam exponens omnia singillatim: *messores*, ait, *Angeli sunt.* Homo ergo carne septus, carnem portans, aut forte caro totus, id est, caro corpore, carnalis animos, audes ante usurpare officium alienum, quod nec in messe erit tuum? *Cum venerit ergo Filius hominis, et omnes Angeli cum eo, sedebit in sede gloriæ suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eas.* Et veniet et separabit: veniet messis, et separabuntur. Modo enim tempus separationis non est, sed tolerationis. Si nunc mali a bonis separari non possunt, ferendi sunt ad tempus: mali in area nobiscum esse possunt, in horreo non possunt. Et forte hodie qui mali apparent, cras boni erunt; et qui de bonitate hodie superbiunt, cras mali invenientur. Nec ideo ista dicimus, fratres, ut corripiendi dormiat diligentia: immo vero ne in illud judicium incauti veniamus, et cæci negligentes cæcitatem nostram, subito nos ad sinixtram inveniamus, disciplina exerceatur, judicium non præcipitetur.

O christiani mali, o qui implendo premitis Ecclesiam male vivendo; corrigite vos ante quam messis adveniat. Non dicatis: *peccavi, et quid accidit mihi?* Non perdidit Deus potentiam; seda te exigit pœnitentiam. Hoc dico malis et tamen christianis; hoc dico zizaniis. In agro enim sunt; et fieri potest, ut qui hodie sunt zizania, cras sint frumentum. Ideo et triticum alloquor. O vos etiam, christiani qui bene vivitis, pauci inter multos suspiratis, pauci inter plurimos gemitis, transiet hyems, veniet æstos, ecce aderit messis. Venient Angeli, qui possunt separare, et nesciunt errare. Interea boni tolerent malos: mali mutentur, et imitentur bonos. Omnes, si fieri potest, ad Deum pertineamus: omnes malitiam sæculi hujus in illius misericordia evadamus. Quæramus dies bonos quia in diebus malis sumus: sed in diebus malis non blasphememus, ut ad bonos dies pervenire possimus.

DOMINICA 6.ª POST EPIPHANIAM.

SERMO.

Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo.—*S. Matt. 13.*

Initium bonæ vitæ, cui vita etiam æterna debetur, recta fides est. Est autem fides credere quod nondum vides: cujus fidei merces est videre quod credis. Cum enim aversum esset genus humanum á Deo, et jaceret in delictis suis: sicut creatore opus habebamus ut essemus, sic Salvatore ut reviviceremus. Justus Deus damnavit hominem, misericors Deus liberat hominem. *Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ.* Sed accipiunt credentes, non accipiunt contemnentes. Recte ergo catholicæ disciplinæ majestate institutum est, ut accedentibus ad religionem fides persuadeatur ante omnia. Hoc est primum præceptum, hoc est initium religionis et vitæ nostræ fixium habere cor in fide, et figendo cor in fide, vivere bene, abstinere ab omnibus seductoriis, sustinere mala temporalia: et quamdiu illa blandiuntur, et illa minantur, adversum utrumque inconcusum habere cor, ne in illa defluas, ne in illa fran-

garis. Habendo ergo continentiam, habendo etiam sustinentiam, cum bona temporalia transierint, et mala quæ inferantur non erunt; habebis omne bonum, habebis nullum malum.

Non ergo quisque se arbitretur ideo percepisse gratiam, quia bene operatus est; sed bene operari non posse, nisi per fidem perceperit gratiam Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel externa admonitione motus ad fidem. Nemo ergo computet bona opera sua ante fidem: ubi fides non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Non valde attendas quid homo faciat, sed quid cum facit aspiciat. Nec de ipsa fide tamen ita gloriandum est, quasi aliquid nos possimus. Non enim fides nihil est, sed magnum aliquid: quam si habes, profecto accepisti: *Quid enim habes quod non accepisti?* Videte, carissimi, unde Domino Deo gratias agatis; ne in aliquo dono ejus ingrati maneatis, et propter hoc quod ingrati estis, quod accepistis perdatis. Laus fidei explicari á me nullo modo potest, sed á fidelibus cogitari potest. Porro si ex aliqua parte, ut dignum est, cogitetur, quis digni cogitet quam multis donis Dei ipsius præferatur? Et si minora Dei dona in nobis debemus agnoscere, quanto magis illud quod ea superat, debemus agnoscere?

Dicit Dominus in Evangelio: *simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod acceptum homo misit in agrum suum, et crevit, et facta est arbor, et volucres cœli requieverunt in ramis ejus.* Terra Dei ager Dei est; ager Dei, Ecclesia Dei est. Audi Apostolum dicentem fidelibus: *Dei agricultura estis.* Non solum ager est Ecclesia, sed et agricola Deus. Audi ipsum Dominum: *ego sum vitis, vos sarmenta, et Pater meus agricola est.* Secundum hoc vitis, Christus, secundum quod ait: *Pater major me est*; secundum autem id quod ait *ego et*

Pater unum sumus, et ipse agricola est. Nec talis quales sunt qui extrinsecus operando exhibent ministerium; sed talis ut det etiam intrinsecus incrementum. *Nam neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Nonne ipse est qui posuit granum sinapis in horto suo? id est, semen minimum et fervidum: et crevit et ascendit, et fecit arborem tantam, ut etiam volucres cœli requiescerent in ramis ejus. Modicum videtur granum sinapis, nihil contemptibilius aspectu, nihil fortius gustu. Quod quid est aliud, nisi maximus ardor et intima vis fidei in Ecclesia?

Ideo Dominus commendans fidem, ait discipulis suis: *si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Tollere et mittere in mare, et fiet.* Legimus miracula á discipulis, immo facta á Domino per discipulos' *quia sine me,* inquit, *nihil potestis facere.* Potuit Dominus multa sine discipulis, nihil discipuli sine Domino Qui potuit facere et ipsos discipulos, non utique est adjutus ab ipsis ut faceret ipsos. Legimus Apostolorum miracula, et majora videntur fecisse Apostoli quam ipse Dominus: Sed unde fieri potest, ut plus valeant sarmenta quam radix? Quomodo autem quasi majora videntur fecisse illi, quam ille? Ad vocem enim Domini surrexerunt mortui, ad umbram vero transeuntis Petri surrexit mortuus. Majus hoc videtur quam illud. Sed Christus facere sini Petro poterat: Petrus nisi in Christo non poterat. Nec Apostoli sibi arrogare voluerunt potentiam Domini, ut dicerent á se factum esse, quod ille in ipsis faciebat. Legimus Apostolorum miracula, nusquam autem legimus montem ab his in mare translatum. Quæramus ergo ubi factum sit. Non enim verba Domini vacare possunt.

Si attendamus istos montes, illud miraculum non est factum. Si attendamus montem ipsum Domini de quo Propheta dixit: *erit in novissimis diebus mani-*

festus mons Domini: si hæc attendamus, si hæc intelligamus, et factum est, et per Apostolos factum est. Mons, sicut docet propheticum testimonium, ipse Dominus est. Notum est enim Christum in prophetia, cum multis nominibus allegorice insinuaretur, etiam montem appellatum. Mare autem significat hoc sæculum, in cujus maris comparatione tamquam terra videbatur gens Judæorum. Non enim idololatriæ amaritudine tegebatur, sed erat tamquam arida, amaritudine gentium tamquam mari circumdata. Videte jam Apostolos mittentes montem in mare. Loquuntur in Actibus Apostolorum ad Judæos contradicentes, sed verbo veritatis rescistentes: *vobis primum oportebat annunciare verbum Dei; sed quoniam repulistis illud, ecce convertimus nos ad gentes.* Christus ad gentes mons translatus in mare. Per fidelissimam enim Apostolorum prædicationem futurum erat ut mons iste, id est, Christus, prædicaretur in gentibus, glorificaretur in gentibus, agnosceretur in gentibus; et fieret quod de illo prædictum est: Populus quem non cognovi, servivit mihi.

Credamus ergo, fratres. Difficile enim est ut male vivat qui bene credit. Credite ex toto corde, credite non claudicantes, hæsitantes, non contra ipsam fidem humanis suspicionibus argumentantes. Propter illa bona, quæ non dabit Deus nisi bonis, et propter illa mala, quæ non inferentur nisi malis, quia in fine apparebunt utraque, credi sibi vult Deus. Quæ enim merces fidei, aut quod omnino vel nomen fidei, si modo vis videre quod teneas? Non debes ergo videre quod credas, sed credere quod videas: credere quamdiu non vides, ne cum videris erubescas. Ergo credamus dum tempus est fidei, antequam sit tempus speciei. Sic enim dicit Apostolus: *Quamdiu sumus in corpore peregrinamur á Domino: per fidem enim ambulamus, non per speciem.* Ergo per fidem ambulamus quamdiu credimus quod non videmus:

tenebimus autem speciem, cum viderimus eum *facie ad faciem sicuti est.* Tempus fidei et tempus speciei Joannes etiam apostolus in epistola sua distinguit, dicens: *Dilectissimi, nunc filii Dei sumus et nondum apperuit quid erimus.* Hoc tempus est fidei: videte tempus speciei. *Scimus,* inquit, *quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*



DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

SERMO.

Erunt novissimi primi, et primi novissimi.—*S. Matt.* 20.

Quamvis meritorum diversitate fulgebunt justi in regno cœlorum, alius magis, alius minus; quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus. Non enim alteri erit longius, alteri brevius, quod pariter sempiternum est: quod non habet finem, nec tibi habebit nec mihi: Alio modo ibi erit castitas conjugalis; alio modo ibi erit integritas virginalis: alio modo ibi erit fructus boni operis; alio modo corona passionis. Illud alio modo, illud alio modo: tamen quantum pertinet ad vivere in æternum, nec ille plus alio. Pariter enim sine fine vivunt eum in suis quoque claritatibus vivat. Nec murmurat qui post multum tempus accepit contra eum qui post modicum tempus accepit. Illi redditur, illi donatur utrisque tamen una res donatur.

Ecce modo audistis similitudinem ex Evangelio sancto, quia *simile est regnum cœlorum patrifamilias, qui exiit conducere operariis ad vineam suam.* Exiit mane et quos invenit conduxit; et placuit cum eis mercedem

denarium. Exiit et hora tertia invenit alios, et adduxit ad opus vineæ. Et sexta hora hoc fecit et nona hoc fecit. Exiit etiam et hora undecima prope ad finem diei invenit quosdam vacuos et stantes; et ait illis; *quid hic statis?* quare non operamini in vinea? Responderunt: *quia nemo nos conduxit. Venite*, inquit, *et vos, et quod justum fuerit dabo vobis.* Mercedem denarium placuit. Isti qui una hora erant operaturi, quando sibi auderent sperare denarium? Sed tamen se aliquid accepturos gratulabantur. Adducti sunt et ipsi ad unam horam. Finito die jussit omnibus reddi mercedem á novissimis usque ad primos. Inde cæpit reddere ab eis qui hora undecima venerant, jusit eis dari denarium. Illi qui prima hora venerant, videntes illos accepisse denarium quem cum ipsis placuerat, speraverunt se plus aliquid accepturos: ventum est et ad ipsos, et acceperunt denarium. Murmuraverunt adversus patremfamilias, dicentes: *ecce nos qui sustinuimus ardorem diei et æstum, æquasti et pares fecisti illis qui unam horam operati sunt in vinea.* Et ait paterfamilias, justissimum responsum redens uni eorum: *sodalis, non tibi feci injuriam:* hoc est, non te fraudavi, quod placui reddidi tibi. Fraudem tibi non feci, quia quod factus sum reddidi. Hinc non volo reddere, sed donare. *Non licet mihi facere quod volo de meo? An occulus tuus nequam est quia ego bonus sum?* Si alicui tollerem alienum recte reprehendere, quasi fraudator et injustus; si alicui non redderem debitum, recte reprehendere quasi fraudator et negator alieni, cum vero debitum reddo et sui voto etiam dono, nec cui debebam me potest reprehendere, et cui donavi debet amplus gaudere. Non erat qúod responderetur: et æquati sunt omnes, *et facti sunt novissimi primi, et primi novissimi,* æquando non preposterando.

Quid est ergo: *facti sunt novissimi primi, et primi novissimi?* Quia tantumdem acceperunt et primi et no-

vissimi. Quid est quod á novissimis cæpit reddere? Nonne omnes simul accepturi sunt? Legimus enim in alio loco Evangelii, quia dicturus est eis quos ponet ad dexteram, *venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab initio mundi.* Si ergo omnes simul accepturi sunt, quomodo hic intelligimus priores accepisse illos qui undecima hora operati sunt et posteriores illos qui prima? Si potuero sic dicere ut perveniat ad intellectum vestrum, Deo, gratias. Illi enim debetis gratias agere, qui vobis per nos erogat: non enim de nostro erogamus. Si interroges de duobus, verbi gratia, quis prior acceperit qui post unam horam accepit, an qui post duodecimam; omnis homo respondet, quia prior accepit qui post unam horam accepit, quam qui post duodecimam. Sic, ergo quamvis una hora acceperint omnes, tamen quia alii acceperunt post unam horam, illi dicti sunt priores accepisse, qui post modicum tempus acceperunt. Primi justi sicut Abel, sicut Noe quasi prima hora vocati, felicitatem resurrectionis nobiscum accepturi sunt. Alii justi post illos, Abraham, Isaac Jacob, quicumque erant sæculi ipsorum, quasi tertia hora vocati felicitatem resurrectionis accepturi sunt nobiscum. Alii justi Moyses et Aaron, et quicumque cum illis tamquam hora sexta vocati felicitatem resurrectionis nobiscum accepturi sunt. Post ipsos Prophetæ sancti tamquam nona hora vocati eamdem felicitatem nobiscum accepturi sunt. In fine sæculi omnes Christiani tamquam undecima hora vocati, felicitatem illius resurrectionis cum illis accepturi sunt. Omnes simul accepturi sunt: sed videte illos, primos, post quantum tempus, accipiunt. Si ergo illi primi post multum tempus, nos post modicum tempus; quamvis simul accipiamus, priores videmur accepisse, quia merces nostra non tardabit.

Erimus ergo in illa mercede omnes æquales, tamquam primi novissimi, et novissimi primi: quia denarius

ille vita æterna est, et in vita æterna omnes æquales erunt. Ipsa est salus, fratres, *de qua salute exquisierunt Prophetæ* sicut dicit apostolus Petrus: et non acceperunt qui exquisierunt, et prænuntiaverunt, et venimus nos, et invenimus quod illi exquisierunt. Et ecce nos nondum accepimus; et nascentur post nos, et invenient quod nec ipsi accipient et transient: ut omnes simul in fine diei cum Patriarchis, et Prophetis et Apostolis denarium salutis accipiamus. Etenim nostis mercenarios vel operarios diversis temporibus ductos ad vineam, mercedem tamen pariter acceperunt. Et Prophetæ ergo, et Apostoli, et Martyres, et nos et qui post nos erunt usque in finem sæculi in ipso fine accepturi sumus salutem sempiternam ut contemplantes gloriam Dei et ejus faciem intuentes, eum laudemus in æternum, sine defectu, sine aliqua pæna iniquitatis, sine aliqua perversitate peccati, laudantes Deum, et non jam suspirantes sed inhærentes illi cui usque in finem suspiravimus, et in spe lætati sumus. In illa enim civitate erimus, ubi bonum nostrum Deus est, lumen Deus est, panis Deus est, vita Deus est: quidquid est bonum nostrum á quo perigrinantes laboramus in illo inveniemus. In illo erit quies, quam modo recordantes necesse est ut doleamus. Ilud enim sabbatum recordamur in cujus recordatione tanta dicta sunt, et nos tanta dicere debemus, et dicentes numquam tacere, non ore sed corde: quia sic ore tacemus, ut corde clamare, possimus.

Est et in ista vita simile aliquid, et excepta illa solutione similitudinis hujus, qua intelliguntur prima hora vocati Abel et ipsius sæculi justi, tertia Abraham et ipsius sæculi justi, sexta Moyses et Aaron et ipsius sæculi justi, nona Prophetæ et ipsius sæculi justi, undecima tamquam in fine sæculi Christiani omnes; excepta solutione ista similitudinis hujus, et in ista vita nostra potest adverti hæc similitudo. Tamquam enim prima hora vocantur qui re-

centes ab utero matris incipiunt esse Christiani, quasi tertia pueri, quasi sexta juvenes, quasi nona vergentes in senium, quasi undecima omnino decrepiti, unum tamen vitæ æternæ denarium omnes accepturi. Putate ergo vos esse conductos. Qui pueri venerunt, prima hora se adductos putent; adolescentuli, tertia; qui juvenes, sexta; qui graviores, nona; qui decrepiti, undecima. De tempore nolite caussari. Opus quod faciatis, audite; mercedem securi expectate. Etsi adtenditis Dominus vester qualis est, nolite invidere si merces æqualis est. Denarius quidem ille æqualis est omnibus, quem paterfamilias eis qui operati sunt in vinea jubet dari omnibus, non in eo discernens qui minus et qui amplius laborarunt: quo utique denario vita significatur æterna, ubi amplius alio nemo vivit, quoniam vivendi non est diversa in æternitate mensura. Quid sibi ergo vult ille denarius, nisi aliquid significat quod omnes communiter habebunt, sienti est ipsa vita æterna, ipsum regnum cœlorum, ubi erunt omnes quos Deus prædestinavit, vocavit, justificavit, glorificavit? Hic erit ille denarius, merces omnium.

Sed adtendite et intelligite, fratres mei, ne ideo quisque differat venire ad vineam securus est, quoniam quandocumque venerit ipsum denarium accepturus est, Securus est quidem quod ipse denarius illi promittitur; sed differre non jubetur. Numquid enim et illi qui sunt ad vineam conducti quando ad illos exibat paterfamilias, ut conduceret quos invenit hora tertia et conduxit, verbi gratia, dixerunt illi: exspecta, non illuc imus nisi hora sexta? aut quos invenit hora sexta, dixerunt: non imus nisi hora nona? aut quos nona invenit, dixerunt: non imus nisi undecima? Omnibus enim tantumdem daturus est, quare nos amplius fatigamur. Quid ille daturus sit, et quid facturus est, penes ipsum consilium est: tu quando vocaris veni. Merces enim cunctis æqualis promittitur: sed de ipsa hora operandi, magna quæstio est. Si

enim illi, verbi gratia, qui vocati sunt hora sexta, in hac ætate corporis constituti, ubi juveniles anni fervent, sicut ipsa hora sexta fervet; si dicerent illi juvenes vocati: exspecta, audivimus enim in Evangelio, quia omnes unam mercedem accepturi sunt, cum senes facti fuerimus, hora undecima veniemus, tantumdem accepturi, quare laboratur? Responderetur eis et diceretur: laborare non vis, qui utrum vivas usque ad senectam nescis? Sexta hora vocaris, veni. Paterfamilias tibi quidem etiam undecima venienti denarium promissit; sed utrum vivas usque ad septimam, nemo tibi promisset. Non dico usque ad undecimam, sed usque ad septimam. Quare ergo differs vocantem te, certus de mercede, in certus de die? Vide neforte quod tibi ille daturus est promittendo, tu tibi auferas differendo. Si hoc recte dicitur de infantibus, tamquam ad horam primam pertinentibus; si recte dicitur de pueris, tamquam ad horam tertiam pertinentibus; si recte dicitur de juvenibus, tamquam in horæ sextæ flagrantia constitutis; quanto magis recte de decrepitis dicitur: ecce jam hora undecima est, et ad huc stas, venire piger es?

Ne ergo *tardes converti ad Deum, neque differas de die in diem. Subito enim veniet ira ejus, et in tempore vindictœ disperdet te.* Promissit tibi quoniam quo die conversus fueris, obliviscetur mala tua præterita: sed numquid vitam crastini diei promisit tibi? Diem mortis incertum salubriter constituit Deus: diem ultimum suum quisque salubriter cogitet. Misericordia Dei est, quia nescit homo quando moriatur. Latet ultimus dies ut observentur omnes dies. Tu vero qui non vis corrigi; quasi unus sit magis dicere debui, quicumque hic estis. Tu tamen qui hic es, qui non statuisti corrigi, (sic loquar quasi ad unum) quisquis non vis corrigi, quid tibi promittis? Desperando peris, an sperando? Quisquis desperando peris, hoc dicis in animo tuo: iniquitas mea super me

est, in peccatis meis contabesco; quæ mihi spes est vivendi? Audi Prophetam dicentem: *nolo mortem impii: tantum revertatur impius á via sua pessima, et vivat.* Qui sperando peris, hoc dicis in animo tuo: Bonus est Deus, misericors est Deus, ignoscit omnia, non reddit mala pro malis. Audi Apostolum Dicentem, *ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit?*



DOMINICA SEXAGESIMÆ.

SERMO.

Qui habet aures audiendi, audiat.—*S. Luc. 8.*

Quando similitudines dantur, vel propietas non exprimitur, per eas non veritas, sed similitudo veritatis exprimitur. Quod dico, scio paucos intellexisse: sed propter omnes loquimus. In rebus visibilibus res quod sunt, hoc sunt, quia proprie nominantur. In parabolis autem et similitudinibus potest una res multis nominibus apellari. Nonne agnus Christus? nonne et leo Christus? Inter feras et pecora, qui agnus, agnus; qui leo, leo; utrumque Christus. Illa singula per proprietatem: ista utrumque per similitudinem. Plus etiam est quod accidit, ut per similitudinem multum á se res distantes vocentur uno nomine. Quod enim tam distat ab invicem, quam Christus et diabolus? Tamen leo et Christus est appellatus, et diabolus. Christus leo: *vicit leo de Tribu Juda.* Diabolus leo: nescitis quia *adversarius vester diabolus circuit quærens quem devoret?* Ergo et ille leo, et ille leo: ille leo propter fortitudinem; ille leo propter feritatem: ille leo ad vincendum; ille leo ad nocendum. Ipse coluber diabolus est, serpens antiquus: numquid jussi sumus diabolum imitari, quando nobis dixit Pastor noster: *estote*

simplices ut columbæ, astuti ut serpentes? Non enim undecumque possunt similitudines duci ad perfectum, possunt collineari ipsæ res rebus ad quas adhibentur. Res ipsa forte ita est, forte non est ita. Tu prospice, tibi valeat ad salutem ista similitudo. Non vis per istam similitudinem, per aliam fac, dum tamen facias. Si quæ autem figuræ similitudinum non tantum de cœlo et desideribus, sed etiam de inferiori creatura ducuntur ad dispensationem sacramentorum, eloquentia quædam est doctrinæ salutaris movendo affectui discentium accomodata á visibilibus ad invisibilia, á corporalibus ad spiritalia á temporalibus ad æterna.

Dominus in Evangelio similitudinem duxit de seminante: ait enim Evangelium: *Cum autem turba plurima convenirent, et de civatatibus properarent ad eum dixit per similitudinem: Exiit qui seminat seminare semen suum; et dum seminat, aliud cecidit secus viam: et conculcatum est, et volucres cœli comederunt illud. Et aliud cecidit supra petram: et natum aruit, quia non habebat humorem, et aliud cecidit inter spinas: et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam: est ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat. Interrogabant autem eum discipuli ejus quæ est hæc parabola. Quibus ipse dixit: vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cœteris autem in parabolis: ut videntes non videant et audientes non intelligant. Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei. Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt, deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. Nam qui supra petram: qui cum audierint cum gaudio suscipiunt verbum: et hi radices non habent quia ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinas cecidit: hi sunt, qui audierunt, et á sollicitudinibus, et divitiis et voluptatibus vitæ euntes, suffocantur, et non referunt fructum. Quod autem in bonam terram: hi sunt qui in corde bono*

et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia.

Ait Dominus in Evangelio: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Exhortamur vos in nomine Christi, ut quæ audituri estis, ad fructum cogitetis. Quia et predicare veritatem, nihil est, si cor á lingua discentiat; et audire veritatem, nihil prodest, si homo non super petram ædificet. Rapiant ergo cor vestrum verba Dei, et possessor vester vindicet tibi posessionem suam, id est, mentes vestras ne avertantur in aliud. Quam terribiliter locutus est per prophetam Ezechielem audite: *ad domum Israel mittam te, non ad populum altioris linguæ te mittam. Populus autem ille nollet audire te, quia nolunt audire me.* Quid ostendit, nisi quia ipse Deus per Prophetam loquebatur? Quia vero in ipsis verbis propheticis nos maxime territi sumus, id est, præpositi quos posuit loqui ad populum suum, prius in illis verbis videmus faciem nostram. Demonstratum est enim vobis, quasi speculum ubi nos inspiceremus; et inspeximus nos: inspicite vos. Ecce ego facio quod ibi audivi: *Si non discreveris,* inquit, *justum, si non dixeris peccatori morte morieris, et ostenderis illi ut recedat ab iniquitatibus suis; ipse quidem in peccatis suis morietur sanguinem autem ejus de manu tua exquiram. Si autem dixeris, et ille contempserit, et non obedierit; ille in sceleribus suis morietur, tu autem animam tuam liberabis.* Dico vobis, libero animam meam. In magno enim sum, non periculo, sed exitio constituto si tacuero. Sed cum ego dixero, et implevero officium meum, vos jam adtendite periculum vestrum. Quid autem volo? quid desidero? quid cupio? quare loquor? quare hic sedeo? quare vivo, nisi hac intentione, ut cum Christo simul vivamus? Cupiditas mea ista est, honor meus iste est; gloria meá ista est; gaudium meum hoc est; possesio mea ista est. Sed si non me audie-

ritis, et tamen ego non tacuero, animam meam liberabo. Sed nolo salvus esse sine vobis.

Adeste ergo intenti, ut et quantum capio, donet Deus et quantum capitis, audiatis. Reliquum enim erit, ut si semen quod spargitur in cordibus vestris, accedente pluvia cohortationum quotidianuarum, et cogitationibus vestris bonis, quibus hoc agitur in corde quod agitur in agro rastris, ut gleba fraugatur, et semen operiatur, et germinare possit: ut afferatis fructum, ad quem gaudeat et lætetur agricola. Multi enim sunt, in quos cadit verbum Dei, quomodo semen in petrosa loca, ubi non habet terram multam, statim exiit et calefacto sole arescit, quia non habet radicem; aut sicut inter spinas, quod etsi germinet et conetur in auras surgere offocatur tamen multitudine spinarum. Tales autem sunt qui verbum Dei contemnunt sicut via, aut qui ad horam gaudent, et facta tribulatione sicut æstu solis arescunt; aut qui cogitationibus et curis et sollicitudine hujus mundi, tamquam spinis avaritiæ, offocant: quod in illis cæperat germinare.

Non enim omnibus utile est verbum Dei, quia non est omnium fides. Fides autem sic est in anima, ut radix bona quæ pluviam in fructum ducit; perfidia vero et error diabolicus et cupiditas mala, radix omnium malorum, sicut radix spinarum, etiam dulcem pluviam ad punctiones convertit. Verbum Dei cibus noster est. Cibus est qui reficit nec deficit: cibus est qui insumitur et non consumitur: cibus est qui esurientes satiat et integer manet. Sed bene manducat et male digerit qui audit verbum Dei et non facit: non enim ducit utilem succum, sed crudum ructat in digestione fastidium. Seminantis ergo manum non terreat via, non terreant lapides, non spinæ. Qui timuerit ne cadat in terram malam, non perveniet ad terram bonam. Et nos cum dicimus, jactamus semina, spargimus semina. *Semen est*

verbum Dei. Sunt qui contemnunt, sunt qui reprehendunt sunt qui irrident. Istos si nos timuerimus nihil habemus seminare, et in messe habemus esuriem. Veniat ergo semen ad terram bonam.

Scio quia qui audit et bene audit, deficit et proficit: deficit iniquitati, proficit veritati: deficit sæculo, proficit Deo. Quis est enim magister qui docet? Non qualiscumque homo, sed Apostolus. Plane Apostolus, et tamen non Apostolus: *An vultis,* inquit, *experimentum ejus accipere, qui in me loquitur Christus?* Christus est qui docet: cathedram in cœlo habet, Scola ipsius corpus ipsius est. Caput docet membra sua, lingua loquitur pedibus suis. Christus est qui docet: audiamus, timeamus, faciamus. Oportet ergo vos esse loquentium auditores, ut in eo quod verum dicimus, quoniam omne verum á veritate est, non nos, sed ipsum laudetis. Tunc enim in nobis requiescit verbum Dei, quando nos adquiescimus verbo Dei: Tunc enim dicenda sunt verba Christi in nobis manere, quando facimus quæ præcepit, et diligimus quæ promisit: quando autem verba ejus manent in memoria, nec inveniuntur in vita, non computatur palmes in vitæ, quia vitam non adtrahit ex radice. Ad hanc differentiam valet quod scriptum est, et memoria retinentibus mandata ejus ut faciant ea. Multi enim memoria retinent ut contemnant, vel etiam deridant et opugnent ea.

Quod dicit Dominus in Evangelio quia *semen quod cecidit in terram bonam, ortum fecit fructum centuplum,* et in alio loco *centessimum, sexagessimum, et trigesimum*; sentesimum Martyrum propter satietatem vitæ vel contemptum mortis: sexagesimum Virginum propter otium interius, quia non pugnant contra consuetudinem carnis: solet enim otium concedi sexagenariis post militiam vel post actiones publicas: trigesimum conjugatorum, quia hæc est ætas præliantium; ipsi enim habent acriorem

conflictum ne libidinibus superentur. Martyres namque in Ecclesiis locum summum tenent, atque apice sanctæ dignitatis excelunt. In martyrio enim prima concessio est, et pro illa quidquid acciderit tolerandi sæquens assumitur fortitudo; deinde post omnia tolerata, finitis angustiis, latitudo consequitur in præmio. Illæ quæ virginitatem Deo vovent ampliorem gradum honoris et sanctitatis in Ecclesia tenent; virginalis enim integritas, et per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, angelica portio est, et in carni corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Profecto habebunt magnum aliquid præter cæteros in illa communi in mortalitate qui habent aliquid jam non carnis in carne. Habent etiam conjugia bonum suum, non quia filios procreant, sed quia honeste quia licite, quia pudice, quia socialiter procreant; et procreatos pariter, salubriter, instantes educant, quia thori fidem invicem servant, quia sacramentum connubii non violant.

Ecce allocutus sum vobis viam, allocutus sum loca saxosa allocutus sum loca spinosa. Mutamini ergo cum potestis: dura aratro vexsate, de agro lapides projicite, de agro spinas evellite. Nolite habere tenuem terram, ubi radix caritatis alta non sedeat. Nolite curis et cupiditatibus sæcularibus offocare bonum semen, quod vobis spargitur laboribus nostris. Etenim Dominus seminat; sed nos operarii ejus sumus. Estote terra bona: ferat alius centenum, alius sexagenum, alius trigenum. In allio major, in allio minor est fructus; sed omnes ordhareum pertinebunt. Ad nos pertinet dicere ista vobis; ad vos fideliter audire; Ad Dominum nos adjuvare operantes, vos audientes, omnes alaborantes. Via non sit, conculcotum semen a transeuntibus, velut avis auferat inimicus. Saxum non sit, ubi modica terra statim facit germinare quod non possit solem portare. Spinæ non sint cupiditates sæculi sollicitudines vitæ vitiosæ. Quid

enim pejus sollicitudine vitæ quæ pervenire non permittit ad vitam? Quid infelicius, quam timendo mortem, cadere in mortem? Extirpentur spinæ paretur ager, suscipiantur semina, perveniatur ad messem, horreum desideretur, non ignis timeatur.



DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

SERMO.

Jesu fili David miserere mei.—
S. Lúc. 18.

Procul dubio singula, quod exhibentur diversis sensibus nostris, singulos sensus delectant. Neque enim vel sonus delectat aspectum, vel color auditum. Cordi autem nostro Dominus et lux est, et odor est, et cibus est: et ideo omnia est, quia nihil horum est; et ideo nihil est horum, quia horum omnium creator est. Est lumen cordi nostro, cui dicimus: *illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.* Est odor cordi nostro, de quo dicitur: *Christi bonus odor sumus.* Si autem cibum quærite, quia jejunatis, *beati qui esuriunt et sitiunt justitiam.* De ipso autem Domino Jesu Christo dictum est, quia *factus est nobis et justitia et sapientia.* Ecce epulæ preparatæ sunt: justitia Christus est, nusquam deest, nec de transmarinis partibus velut poma peregrina á negotiatoribus apportantur: cibus est quem sentit omnis qui sanas fauces habet; interioris enim hominis cibus est. Se ipsum commendans ait: *ego sum panis vivus, qui de Cœlo descendi.* Cibus est qui reficit, nec deficit: cibus est qui insumitur et non consumitur: cibus est qui esurientes satiat et integer manet.

Nec miremini, fratres, quod et corda nostra sic epulantur, ut et ipsa reficiantur et non minuant unde reficiantur. Corporalibus oculis nostris Deus talem cibum dedit. Nam lux ista cibus est oculorum; hac lumina nostra pascuntur, et si quis diutius in tenebris fuerit, tanquam jejunando deficiunt. Perdiderunt enim homines oculos sedendo in tenebris, nec aliquid irruit oculis, nec quispiam percussit, nec humor alienis influxit, nec pulvis nec fumus. .Producitur homo post tenebras, et non videt quod videbat: oculi ejus fame mortui sunt; cibum suum, hoc est, lucem non sumendo defecerunt. Videte ergo quod proposui, qualis sit cibus oculorum nostrorum. Ista lux videtur ab omnibus; pascit omnium oculos; et aspectus videntis reficitur, et lux integra perseverat. Si duo videant tanta permanet; si plures videant, eadem permanet æqualis est omnibus. Nulus in ea limites figit, impletur pauperis inopia, vacat divitis avaritia. Numquid enim qui plus habet, plus videt, aut prolato auro præocupat pauperem, et emit sibi quod videat, ut ille non habeat?

Istam lucem amore quodam ingenti desiderabat cæcus ille, qui juxta Evangelium post Jesum clamabat dicens: *miserere mei, fili David.* Clamabat Christo transeunte. Metuebat enim ne transiret, et non sanaret. Et quantum clamabat? Ut turba prohibente non taceret. Vicit contradictorem, tenuit Salvatorem. Obstrepentibus turbis, et clamare prohibentibus, stetit Jesus, vocavit eum, et dixit ei: *quid vis tibi fieri? Domini*, inquit, *ut videam. Respice, fides tua te salvum fecit.* Lucem istam quærunt oculi carnis. Istam lucem vident vobiscum iniqui, vident nobiscum latrones, vident nobiscum impudici, vident nobiscum bestiæ, muscæ, vermiculi: sed est et alia lux, quam quærunt oculi cordis. Lux ista visibilis, quamvis et ipsam Deus fecerit, longe incomparabilis est etiam illi luci, quam fecit Deus in mentibus

priorum, quas á tenebris lucificat, sicut ab inpietate justificat. Nec omnibus inaccessibilis est. *Beati enim mundi cordes quoniam ipsi Deum videbunt. Deus autem lux est, et tenebre in eo non sunt ullæ: impii vero non videbunt lumen,* sicut dicit Isaias. Talibus ergo est inaccessibilis illa lucifica lux, quæ non solum illam spiritalem lucem in sanctorum mentibus, sed etiam istam corporalem fecit non ad quam prohibeat accedere malos, sed quan *facit oriri super bonos et malos.*

Est enim lux quæ oritur justo: de qua luce non sibi orta, in fine dicent injusti: *Ergo errabimus á via veritatis et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol intilligentiæ non ortus est nobis.* Ad hane lucem, fratres, amandam hortamur Dilectionem Vestram. Nostis quia Tobias filium suum admonebat et dicebat: *Fili fac eleemosynas: quia eleemosynæ non permittunt ire in tenebras.* Et loquebatur ille qui in tenebris erat. Oculos non habebat et filio suo dicebat: *Fac eleemosynas, eleemosynæ non sinunt ire in tenebras.* Nec timuit ne diceret sibi in corde suo filius ipsius. Tu enim eleemosynas non fecisti? Quare mihi cæcus loqueris? Ecce eleemosynæ ad tenebras perduxerunt, et quomodo mihi dicis: *Eleemosynæ non sinunt ire in tenebras?* Quare ille ista cun fiducia dicebat, nisi quia aliam lucem videbat? Noverat ille de qua luce doceret filium, noverat in interiore homine quod videbat. Filius patri manum tenebat, ut ambularet, sed pater filium viam docebat, ut viveret. Filius patri porrigebat manum, ut ambularet per terram; et pater filio, ut habitaret in cœlo. Est ergo lux quæ oritur justo. Vis illam nosse? Noli torto corde esse ad Deum, resistens voluntati ipsius, et volens illum curvare ad te, et non te dirigere ad illum; et senties jocunditatem, quam norunt omnes qui recto sunt corde. *Lux orta est justo, et rectis corde jocunditas.*

Sed ad Evangelium redeamus. Ut cecus clamans

sanaretur, stetit Jesus. Ibi misterium magnum est. Transiens erat ille, quando ille clamabat: quando sanabit stetit. Transitus Christi intentos nos faciat ad clamandum. Quis est transitus Christi? Quidquid pro nobis temporaliter pertulit, transitus ejus est. Natus est, transit; numquid adhuc nascitur? Crevit, transiit; numquid adhuc cresit? Suxit: numquid adhuc sugit? Defessus dormivit: numquid adhuc dormit? Manducavit et bibit: numquid adhuc facit? Postremo prensus est, vinctus est, verberatus est, spinis coronatus est, alapis cœssus est, sputis illitus, ligno suspensus, occisus, lancea percussus, sepultus surrexit: adhuc transit. Ascendit in cœlum, sedet ad dexteram patris: stetit. Nam et in eo ipso quod *Verbum erat apud Deum,* utique stabat; quia non mutabatur. *Et Deus erat Verbum: et Verbum caro factum est.* Caro per transitum multa fecit, et passa est: Verbum stetit. Ipso verbo cor illuminatur; quia ipso Verbo caro, quam suscepit, honoratur. Tolle Verbum, quid est caro? Hoc est quod tua. Caro autem Christi ut honoretur. *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Clama quantum potes, modo te illuminat.

Quid est autem clamare ad Christum, nisi gratiæ Christi congruere bonis operibus? Hoc dico, fratres, ne forte simus strepentes vocibus, et muti moribus. Quid est qui clamat ad Christum, ut pelletur interior cæcitas transeunte Christo, id est, dispensante nobis temporalia sacramenta, quibus admoneamur ad æterna capíenda? Quis est qui clamat ad Christum? Qui contemnit mundum, clamat ad Christum. Qui spernit sæculi voluptates, clamat ad Christum. Qui dicit non lingua, sed vita: *mihi mundus crucifixus est, et ego mundo,* clamat ad Christum. Qui dispergit, et dat pauperibus, ut justitia ejus maneat in sæculum sæculi, clamat ad Christum. Qui enim audit, et non surdus audit: *res vestras*

vendite, et date pauperibus: facite vobis saculos non veterascentes, thesaurum non deficientem in cœlo: tanquam vestigiorum sonitum Christi transeuntis audiens clamet ad hæc cæcus, id est, faciat ista. Vox ejus in factis sit. Incipiat mundum contemnere, inopi sua distribuere, pro nihilo habere quæ homines amant: contemnat injurias, non appetat vindicari, paret maxilam percutienti, oret pro inimicis; si quis ei abstulerit sua, non repetat; si quid alicui abstulerit, reddat quadruplum.

Clamemus Christo transeunte, ut sanentur oculi nostri. Si desideravit ille cæcus lumen corporis, quanto plus lumen cordis desiderare debemus? Ad eum, non vocibus sed moribus clamemus: Vivamus bene: mundum contemnamus: nihil nobis sit omne quod transit. Reprehensuri sunt nos, quando sic vixerimus, quasi dilectores nostri, homines sæculares, amantes terram, sapientes pulverem, nihil de cœlo ducentes, auras liberas corde, nare carpentes: reprehensuri sunt nos pro culdubio, atque dicturi, si viderint nos ista humana, ista terrena contemnere: quid pateris? Quid insanis? Turba illa est contradicens, ne cœcus clamet. Et aliquanti christiani sunt, qui prohibent vivere christianè quia et illa turba cum Christo ambulabat, et vociferantem hominem ad Christum ac lucem desiderantem, ab ipsius Christi beneficio prohibebat. Sunt tales christiani; sed vincamus illos, vivamus bene; et ipsa vita est, vox nostra ad Christum. Stabit, quia stat. Clamemus ergo, bene vivamus.



DOMINICA 1.ª QUADRAGESIMÆ

SERMO

Ductus est Jesus in desêrtum á Spiritu, ut tentaretur á diabolo
S. Matt. 4.

Solemne tempus advenit, quod amplius quam per anni cætera spatia, nos orationibus atque jejuniis animam humiliare et corpus castigare commoneat. Cur autem hac propinquante solemnitate Dominicæ passionis, et cur quadragesimi numeri mysterio celebretur, quoniam solet movere nonnullos, merito de hac re quod dicendum Dominus donare dignatus est, ad vestram caritatem proferre suscipimus. Quos autem ista non ad litigandum, sed ad cognoscendum quærere novimus, eorum fide atque pietate multum adjuvamur, ut dicenda impetrare possimus.

Plane suo exemplo docuit nos Dominus jejunandum esse quando forte acriore luctamine cum tentatore confligimus. Ob hoc enim Christus, qui sicut homo dignatus est nasci, non respuit sicut homo tentari, ut Christianus magisterio ejus instructus non possit á tentatore superari. *Jesus*, ait quidem Evangelium, *ductus est in desertum á spiritu ut tentaretur, á diabolo. Et*

cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator dixit: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi. Et dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia angelis suis mandavit de te et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Jesus: Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde et ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam eorum. Et dixit ei: Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraveris me. Tunc dixit ei Jesus: Vade, Satana: Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Tunc reliquit eum diabolus, et ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei.

Cur autem nos ante solemnitatem passionis Dominicæ jejunemus, et illa jejunorum relaxatio quinquagesimo die perficiatur, hæc ratio est, omnis qui recte jejunat, aut animam suam in gemitu orationis ex castigatione corporis humiliat ex fide non ficta, aut ab illecebra carnali inopia aliqua spiritali veritatis et sapientiæ delectatione suspensa ad famem sitimque sentiendam descendit ejus intentio. De utroque jejunni genere Dominus respondit, interrogantibus cur discipuli ejus non jejunarent. Nam de illo primo quod habet animæ humiliationem: *Non possunt*, inquit, *lugere filii sponsi quamdiu cum eis est sponsus. Sed veniet hora quando auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt.* De illo autem altero, quod habet epulas mentis, ita consequenter locutus est: *Nemo assuit pannum novum vestimento veteri, ne major scissura*

fiat: neque mittunt vinum novum in utres veteres, ne et utres rumpantur, et vinum effundatur; sed vinum novum in utres novos mittunt, et utraque, servantur. Pro inde quia jam sponsus ablatus est, utique nobis filiis illius pulchri sponsi lugendum est. *Speciosus* enim, *forma prœ filiis hominum* cujus *diffusa est gratia in labis ejus,* inter manus persequentium non habuit speciem neque decorem, et ablata est de terra vita ejus. Et rectè lugemus, si flagramus desiderio ejus. Beati quibus eum licuit ante passionem tunc habere præsentem interrogare sicut vellent, et audire sicut audire deberent. Illos dies, concupierunt videre patres ante adventum ejus neque viderunt: quia in alia dispensatione fuerant ordinati, per quos venturus anuntiaretur, non á quibus veniens audiretur. De his enim ad discipulos loquitur dicens, *multi justi et Prophetœ voluerunt videre quœ vos videtis, et non viderunt; et audire quœ auditis, et non audierunt.* In nobis autem illud impletum est, quod ipse itidem dicit: *venient dies, quando desiderabitis videre unum de diebus istis et non poteritis.*

Quis non sancti desiderii flamma uratur ¿quis non hic lugeat? quis non laboret in gemitu suo? quis non dicat: *factœ sunt mihi lacrymœ mœ panis die ac noctœ dum dicitur mihi quotidie: ubi est Deus tuus?* Credimus quippe in eum jam sedentem ad dexteram Patris: sed tamen *quamdiu sumus in corpore peregrinamur ab eo, nec* cum dubitantibus vel negantibus et dicentibus: *ubi est Deus tuus* valemus, ostendere. Merito Apostolus ejus concupiscebat *dissolbi, et esse cum illo:* manere autem in carne non sibi optimum ducebat; sed necessarium propter nos. *Ubi cogitationes mortalium timidœ et incertœ provindentiœ nostrœ; quoniam deprimit terrena in habitatio sensum multa cogitantem.* Inde *tentatio est vita hu-*

mana super terram: et in hac sæculi noctæ *circuit leo quœrens quem devoret.* Non leo de tribu Juda, rex noster; sed leo diabolus, adversarius noster. Ille autem quatuor animalium de Apocalypsi Johannis figuras in se uno exprimens: natus ut homo, operatus ut leo, immolatus ut vitulus, volavit ut aquila, *volavit super pennas ventorum et posuit tenebras latibulum suum. Posuit tenebras, et facta est nox, in qua pertranseunt omnes bestiœ silvœ. Catuli leonum rugientes,* tentatores videlicet per quos *diabolus quœrit quem devoret;* non quidem habentes potestatem; nisi in eis quos acceperint: quia in Psalmo ipso ita sequitur, *quœrentes á Deo escam sibi.* In ista perículis et tentationibus plena hujus sæculi nocte quis non timeat, quis non medullis omnibus contremiscat, ne dignus judicetur qui devorandus dimittatur in fauces tam crudelis inimici? Unde jejenandum et orandum est.

Et quando potius, quando instantius quam propinquante ipsa Dominicæ passions solmnitate, iquael celebritate anniversaria quodam modo nobis ejusdem noctis memoria resculpitur, ne oblivione deleatur, ne non nos corpore, sed spiritu dormientes, ille rugiens devorator inveniat? Nam et ipsa dominica passio quid nobis aliud in capite nostro Christo Jesu, quam ipsam vitæ hujus tentationem maxime commendavit? Unde adveniente jam mortis suæ tempore, Petro dixit, *postulavit Satanas vexare vos sicut triticum; et ego rogavi, Petre, pro te, ne deficiat fides tua: vade et conforta fratres tuos.* Et plane confortavit nos per apostolatum, per martyrium, per epistolas suas. Ubi etiam noctem, de qua loquor, admonens formidandam consolatione prophetiæ tamquam nocturni luminis, ut cauti vigilaremus, edocuit. *Habemus,* inquit, *certiorem propheticum sermonem, cui benefacitis intendentes,*

tamquam lucernæ lucenti in obscuro loco, donec dies lucescat, et *lucifer oriatur in cordibus vestris.*

Sint ergo *lumbi* nostri *præcincti et lucernæ ardentes in manibus* nostris: *Et* nos *similes homini bus expectantibus dominum* suum *quando revertatur á nuptiis.* Nec dicamus invicem nobis, *manducemus et bibamus, cras enim moriemur.* Sed eo magis, quo incertus est mortis dies, et molestus est vitæ dies, jejunemus et oremus, *cras enim moriemur. Pusillum,* inquit, *et non videbitis me; et iterum pussillum, et videbitis me. Hæc est hora de qua* dixit: *vos tristes eritis, sæculum autem gaudebit:* id est, vita ista tentationibus plena, in qua peregrinamur ab eo. *Sed iterum,* inquit, *videbo vos, et gaudebit cor vestrum; et gaudium vestrum nemo auferet á vobis.* In hac spe fidelissimi promissoris etiam nunc ut cumque gaudemus, donec veniat illud uberrimum gaudium, cum *similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, et gaudium nostrum nemo auferet á nobís.* Hujus enim spei tam gratum et gratuitum etiam pignus Spiritum Sanctum accepimus, qui in cordibus nostris inenarrabiles gemitus operatur sanctorum desideriorum. Concepimus enim, sicut ait Isaias, *et parturivimus spiritum salutis.* Et mulier cum *parturit,* ait Dominus, *tristitia est ílli, quoniam venit dies ejus; sed cum pepererit* fit gaudium magnum, *quoniam natus est homo in sæculum.* hoc erít *gaudium, quod nemo auferet* á nobis; quo in æternum lumen ex hec fidei conceptione transfundemur. Nunc ergo jejunemus, et oremus, cum dies parturitionis est.

Hoc totum corpus Christi per totum orbem diffusum, id est, tota hoc agit Ecclesia, et illa unitas quæ dixit in Psalmo, *á finibus terræ ad te clamavi, dum angeretur cor meum.* Unde jam nobis claret cur quadragesima instituta sit hujus humiliationis solem-

nitas. Quæ enim á finibus terræ clamat, cum angitur cor ejus, á quatuor orbis terræ partibus clamat, quas frequenter etiam Scriptura commemorat, Oriente et Occidente, Aquilone et Meridie. Per hoc totum ille decalogus legis, jam non per litteram tantum modo metuendus, sed per gratiam caritatis implendus, indictus est. Unde quater multiplicatis decem, videmus quadraginta compleri. Sed aduhc in labore tentationis cum venia delictorum. Quis enim perfecte implet, *Non concupisces*? Unde jejunandum et orandum est: á bono tamen opere non cessandum. Cui labori merces illa redditur in fine quæ denarii nomine nuncupatur. Sicut autem ternarius á tribus, quaternarius á quatuor, ita denarius á decem nomen accepit: qui conjunctus quadragenario tamquam merces labori redditur. Quinquagenarii numeri figura tempus illius gaudii significat quod nemo auferet á nobis: cujus in hac vita nondum functionem habemus; sed tamen post sollemnitatem Dominicæ passionis á die resurrectionis ejus per dies quinquaginta quibus jejunia relaxemus, hoc in Dominicis laudibus personante alleluja celebramus.

Nunc itaque, in persona Christi, ut non circumveniamini á Satana exhortor vos, dilectissimi, ut quotidianis jejuniis, largioribus elecmosynis, ferventioribus orationibus, Deum propitietis; Nunc tempus est quo et conjugati ab uxoribus, et nuptæ á suis viris abstineant, ut orationibus vacent quamquam et per totum annum certis diebus hoc facere debeant: et quanto crebrius, tanto utique melius quia et qui concessa immoderatè appetit eum qui concessit offendit. Oratio quippe spiritalis res est et ideo tantò est acceptior, quanto magis suæ naturæ implet effectum. Tanto magis autem spiritali opere funditur, quanto magis animus qui eam fundit, á carnali voluptate suspen-

ditur. Quadraginta diebus jejunabit Moyses Legis administrator; quadraginta Elias, excellentissimus Prophetarum, quadraginta ipse Dominus testimonium habens á lege et Prophetis. Inde cum his duobus in monte se ostendit. Nos autem qui tam longum jejunium perpetuare non possumus, ut per tot dies et noctes nihil alimentorum, sicut et illi accipiamus, sal tem quantum possumus, faciamus; ut exceptis diebus per quos certis de causis mos Ecclesiæ prohibet jejunare, Domino Deo nostro vel quotidiano vel crebro jejunio placeamus. Sed numquid sicut á cibo et potu abstinentia per tot dies non potest esse continua sic et á concubitu non potes? cum videamus in nomine Christi multos utriusque sexus ab hac re penitus immunia membra Deo dicata servare. Puto non esse magnum ut tota Paschali solemnitate possit conjugatorum castitas, quod potest tota vita virginitas.

Jam vero illud, quamquam admonere non debui, quando quidem tempus humiliandæ animæ, quantum potui maxime commendávi, tamen propter hominum errores, qui per vaniloquas seducciones et pravas consuetudines nobis molestam pro vobis curam inferre non cessant tacere possum. Sunt quidam observatores quadragesimæ deliciosi potius, quam religiosi, exquirentes novas suavitates, magis quam veteres concupiscentias castigantes; qui copiosis pretiosisque apparatibus fructuum diversorum, quorumlibet obsoniorum varietates et sapores superare contendunt: vasa in quibus coctæ sunt carnes tamquam immunda formidant, et in sua carne ventris et gutturis luxuriam non formidant; jejunant, non ut solitam temperando minuant edacitatem; sed ut immoderatam differendo augeant aviditatem. Nam ubi tempus reficiendi advenerit, opimis mensis, tamquam pecora præcepibus irruunt; numeratioribus ferculis corda obruunt ventresque

distendunt; artificiosis et peregrinis condimentorum diversitatibus gulam, ne vel copia compescatur, irritant. Denique tantum capiunt manducando, quantum digerere non suficiant jejunando.

Sunt etiam qui vinum ita non bibunt, ut aliorum expressione pomorum alios sibi liquores, non salutis caussa, sed jucunditatis, exquirant: tamquam non sit quadragesima píæ humilitatis observatio, sed novæ voluptatis occasio. Quanto enim honestius, si stomachi infirmitas aquam potare non tolerat, vino usitato et modico sustentetur, quam quærantur vina quæ vindemiam nesciunt, quæ torcularia non noverunt; non ut potus mundior eligatur, sed ut frugalior improbetur. Quid autem absurdius, quam tempore quo caro artius castiganda est tantas carni suavitates procurare ut ipsa faucium concupiscentia nolit quadragesimam prœterire? Quid inconvenientius, quam in diebus humilitatis, quando pauperum victus omnibus imitandus est, ita vivere ut si tolo tempore sic vivatur, vix possint divitum patrimonia sustinere? Cavete ista, dilectissimi: cogitate quod scriptum est, *post concupiscentias tuas non eas*. Quod saluberrimum prœceptum si omni tempore observandum est quanto amplius his diebus, quando ita turpe est si cupiditas nostra ad inusitatas laxetur illecebras, ut merito culpetur qui non restrinxerit usitatas.?

Precipue sanè pauperum mementote, ut quod vobis parcius vivendo subtrahitis, in cælesti thesauro reponatis. Accipiat esuriens Christus, quod jejunans minus accipit Christianus. Castigatio volentis fiat sustentatio non habentis. Voluntaria copiosi inopia fiat necessaria inopis copia. Sit etiam in animo placabili et humili misericors ignoscendi facilitas. Petat veniam, qui fecit injuriam: det veniam, qui accepit injuriam: ut non possideamur á Satana, cujus triumphus est

dissentio Christianorum. Et hæc enim magni lucri eleemosyna est, debitum relaxare conservo, ut tibi relaxetur á Domino. Utrumque opus bonum celestis magister discipulis commendavit dicens: *Remittite et remittetur vobis*; *date et dabitur vobis*. Mementote servi illius, cui omne debitum dominus ejus quod donaverat replicavit, quia conservo ipse debenti sibi centum denarios misericordiam non rependit quam de talentorum decem millibus quæ debebat accepit. In hoc genere operis bonis excusatio nulla est, ubi sola voluntas tota facultas est. Potest quisque dicere. Ne stomachus doleat, jejunare non possum. Potest etiam dicere, volo dare pauperi; sed unde, non habeo: aut tantum habeo, ut timeam egere, si dedero. Quamquam et in his operibus excusationes plerumque sibi homines falsas faciunt, quia veras non inveniunt. Verumtamen quis est qui dicat, ideo non ignovi veniam petenti, quia me valetudo impedivit aut quia manus qua porrigerem non fuit? Dimite, ut dimittatur tibi. Carnis hic opus nullum est, nullum vel carnis suæ membrum in adjutorium animæ assumitur ut hoc impleatur, quod rogatur. Voluntate agitur, voluntate perficitur. Fac securus, da securus, nihil in corpore dolebis, nihil in domo minus habebis. Jam vero, Fratres, videte quid mali sit, ut pænitenti fratri non ignoscat, cui præceptum est ut inimicum adhuc diligat. Quæ cum ita sint, cum scriptum sit, *Sol non occidat super iracumdiam vestram*: considerate, Carissimi, utrùm Christianus dicendus sit, qui saltem his diebus inimicicias non vult finire, quas numquam debuit exercere.



DOMINICA 2.ª QUADRAGESIMÆ

SERMO

Dómine bonum est nos hic esse.
S. Matt. 17.

Inspicienda nobis et tractanda est, Carissimi, vissio ista, quam Dominus demonstravit in monte. Ipsa est enim de qua dixerat: *Amen dico vobis quia sunt hic quidam de circunstantibus qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis in regno suo.* Inde cæpit lectio quæ recitata est. *Dum hoc dixiset, post dies sex assumpsit tres discipulos Petrum, Joannem et Jacobum et ascendit in montem.* Ipsi tres erant quidam de quibus dixerat: *sunt hic quidam qui non gustabunt mortem donec videant Filíum hominis in regno suo.* Non parva quæstio est. Neque enim ille mons, regnum erat comprehensum. Quid est mons ei qui possidet cælum? Quod non solum legimus, sed etiam oculis cordis quodam modo videmus. Regnum suum dicit, quod multis locis apellat regnum cælorum. Regnum autem cælorum est regnum Sanctorum. *Cæli enim enarrant gloriam Dei.* De quibus cælis dictum est contínuo in Psalmo *non sunt loquelæ neque sermones quorum non audiantur voces eorum. In omnen terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Quorum nisi cælorum?

Ergo Apostolorum, et omnium verbi Dei fidelium predicatorum. Regnabunt cæli cum eo qui fecit cælos. Hoc ut ostenderetur, videte quid factum est.

Dominus ipse Jesús *resplenduit sicut sol: vestimenta ejus facta sunt candida sicut nix et loquebantur cum eo Moyses et Elias.* Ipse Jesús quidem, ipse splenduit sicut sol, se lumem esse significans quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quod est iste sol oculis carnis hoc ille oculis cordis: et quod ille carnibus hoc ille cordibus. Vestimenta autem ejus, Ecclesia ejus. Vestimenta enim nisi ab induto contineantur, cadunt. Horum vestimentorum quædam quasi novissima fimbria Paulus fuit. Ipse enim dicit: *Ego enim sum minimus Apostolorum.* Et alio loco, *Ego sum novisimus Apostolorum.* In vestimento autem fimbria est novissima et minima; proinde, sicut illa mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur, tacta Domini fimbría, salva facta est: sic Ecclesia, quæ ex gentibus venit, Paulo predicante salvata est. Quid mirum si per candida vestimenta signatur Ecclesia, cum audiatis Isaiam prophetam dicentem: *et si fuerint peccata vestra sicut phœnicium, tamquam nívem dealbabo?* Moyses et Elías, id est, Lex et Prophetæ quid valent, nisi cum Domino colloquantur? Nisi Domino perhibeant testimonium, quis leget Legem? quis Prophætas? Videte quam breviter hoc Apostolus ait: *per legem enim cognitio peccati; nunc autem sine lege, justitia Dei manifestata est;* ecce sol: testificata á Lege et Prophætis; ecce splendor.

Videt hoc Petrus, et humana sapiens tamquam homo; *Domine, bonum est,* inquit, *nos hic esse.* Tedium patiebatur á turba, invenerat solitudinem montis; ibi habebat Christum panem mentis. Ut quid inde discederet ad labores, habens in Deum sanctos amores, et ídeo bonos mores? Bene sibi volebat esse; unde et

adjunxit: *si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum.* Ad hæc Dominus nihil respondit: sed tamen Petro responsum est. *Hæc enim eo loquente, nubes lucida venit, et obumbravit eos.* Ille quærebat tria tabernacula: nobis unum esse, quod humanus sensus dividere cupiebat, responsum cæleste monstravit. Verbum Dei Christus, Verbum Dei in Lege, Verbum in Prophetis. Quid, Petre, quæris dividere? Magis te oportet adjungere. Tria quæris: intellige et unum.

Nube ergo obumbrante omnes, et quodam modo, eis faciente unum tabernaculum, sonuit et vox de nube dicens: *hic est Filius meus dilectus.* Ibi erat Moyses, ibi Elías: non est dictum: hi sunt filii mei dilecti: Aliud est enim Unicus; aliud adoptati. Ille commendatur unde Lex et Prophetæ gloriabantur. *Hic est, inquit, Filiu meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* Quia et in Prophætis ipsum audistis, et in lege ipsum audistis. Et ubi non ipsum audistis? Hoc audito, illi ceciderunt in terram. Jam demonstratur nobis in Ecclesia regnum Dei. Hic Dominus, hic lex et Prophætæ; sed Dominus tamquam Dominus: Lex in Moyse, Prophetía in Elía; sed ipsi tamquam servi, tamquam ministri. Ipsi tamquam vasa ipse tamquam fons. Moyses et Prophetæ discebant, et scribebant; sed de illo implebantur quando fundebant.

Dominus autem *porrexit manum, et exitavit jacentes.* Deinde *neminem viderunt, nisi solum Jesum.* Quid sibi hoc vult? Apostolus ait: *quía videmus nunc per speculum in ænigmate tunc autem facie ad faciem.* Est linguæ evacuabuntur, quando venerit illud quod modo speramus et credímus. Quod illi ergo ad terram ceciderunt, hoc significaverunt quod morimur; quía dictum est carni: terra est, et in terram ibis. Quando vero eos Dominus erexit resurrectionem significavit.

Post resurrectíonem ut quid tibi Lex? ut quid tibi Prophetía? Ideo non apparet Elías, non apparet Moyses. Remanet tibi: *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*: Remanet tibi: *ut sit Deus omnia in omnibus.* Ibi erit Moyses; sed jam non Lex. Videbímus ibi et Eliam; sed jam non Prophetam. Lex enim et Prophetæ testimonium perhibuerunt Christo quia oporteret eum pati, et die tertia resurgere á mortuis, et intrare in gloriam suam: Ubi completur illud quod suis dilectoribus repromisit. Quí diligit me, diligetur á Patre meo, et ego diligam eum. Et quasi disceretur quia diliges eum, quid illi dabis? *Et ostendam meipsum illi.* Magnum donum, magna promissio. Non tibi servat Deus præmium aliquod suum, sed se ipsum. Avare, quare tibi non sufficit quod Christus promissit? Tu dives tibí videris; et si Deum non habes, quid habes? alter pauper; et si Deum habet, quid non habet?

Descende ergo, Petre; requiescere cupiebas in monte, descende, prædica verbum, insta oportune importune, argue, hortare; increpa cum omni longanimitate et doctrina. Labora, desuda patere aliqua tormenta, ut quod in candidis vestimentis Domini intelligitur, per candorem et pulchritudinen ræcte operationis in caritate possideas. In laude enim caritatis dictum est ab Apostolo: *non quærit quæ sua sunt.* Non quærit quæ sua sunt; quoniam donat quæ possidet. Alio loco periculosius dictum est, si non intellexeris. Secumdum enim ipsam caritatem præcipiens Apostolus fidelibus membris Christi, ait; *nemo quod suum est quærat*; *sed quod alterius est.* Avaritia namque, hoc audito, fraudes parat, ut in negotio quasi alienum quærens, aliquem circunveniat, et quærat non suum, sed alienum. Compescat se avaritia, procedat justitia: audiamus et intelligamus. Caritati dictum est: *nemo quod suum est*

quærat, sed quod alterius. Verum tu, avare, si resistas, et magis ad hoc præceptum redigis, ut alienum concupiscas: perde tuum. Sed quomodo te novi, habere vis et tuum et alienum. Fraudem facis, ut habeas alienum; furtum patere, ut perdas tuum. Non vis quærere tuum, sed tollis alienum. Quod si facis, non facis bene. Audi, avare, ausculta: Apostolus tibi alio loco apertius exponit hoc quod dixit: *nemo quod suum est quærat, sed quod alterius*. Ait de se ipso: ego autem non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi sint. Hoc Petrus nondum inteligebat, quando in monte vivere cum Christo desiderabat. Servabat tibi hoc, Petre, post mortem. Nunc autem ipse dicit, descende laborare in terra, servire in terra, contemni, crucifigi in terra. Descendit vita ut occideretur; descendit panis, ut esuriret; descendit via, ut itinere laxaretur; descendit fons, ut sitiret; et tu recusas laborare? Noli tua quærere. Habe caritatem, prædica veritatem; tunc pervenies ad eternitatem, ubi invenies securitatem.



DOMINICA 3.ª QUADRAGESIMÆ

SERMO

Erat Jesus ejiciens dæmonium, et illud erat mutum. *S. Luc. 11.*

Cum Donino fuisset oblatus dæmonium habens, mutus, et curasset eum, ita ut loqueretur, et stuperent omnes turbæ, Pharisæi dixerunt: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Jesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum divisum contra se, desolabitur, et domus supra domum cadet. Et si Satanas Satanam éjicit, adversum se divisus est: quomodo stabit regnum ejus.?* Hoc dicens ex ipsorum confessione volebat intelligi, quod in eum non credendo, in regno diaboli esse delegissent, quod utique adversum se divisum stare non posset. Eligant ergo Pharisæi quod voluerint. Si Satanas Satanam non potest ejicere, nihil contra Dominum quod dicerent, invenire potuerunt: si autem potest, multò magis sibi prospiciant, et recedant de regno ejus, quod adversum se divisum stare non potest.

Mutus enim est qui non confitetur fidem, de qua dictum est ab Apostolo: *Corde creditur ad justitiam,*

ore autem confessio fit ad salutem. Hoc est verbum fidei quod prædicamus. Quia si credideris, inquit, *in corde tuo quia Dominus est Jesus, et confessus fueris in ore tuo quia Deus illum suscitavit á mortuis, salvus eris.* Parum est ergo in corde habere Christum, et nolle confiteri dum timetur opprobrium; sed exprobrantibus respondendum est verbum: Multi credunt corde, et erubescunt confiteri ore. Sed cum timent et erubescunt, faciunt á se longe salutem; quia ore confessio fit ad salutem. Quid prodest credidisse ad justitiam, si os dubitat proferre quod corde conceptum est? Intus fidem Deus videt; sed parum est. Ne confitearis humilem, times superbos; et ei præponis superbos, qui pro te displicuit superbis. Humilem times confiteri Filium Dei. Magnum verbum Dei, virtutem Dei, sapientiam Dei non erubescis confiteri: natum, crucifixum, mortuum erubescis confiteri. Altus, excelsus et æqualis Patri, per quem facta sunt omnia, per quem factus es et tu, factus est quod tu; factus est propter te homo, propter te natus, propter te mortuus. Discedat ergo mala verecundia, accedat salubris impudentia; si impudentia dicenda est; sed tamen, Fratres, extorsi mihi ut hoc dicerem, nec prorsus timerem.

In quo autem Dominus Christus ejiciat dæmones; ne dæmoniorum principem existiment, attendant quod sequitur: *et si ego,* inquit, *in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt.* Dixit hoc utique de discipulis suis illius populi filiis: qui certè discipuli Domini Nostri Jesu Christi bene sibi conscii fuerant nihil se malarum artium á bono magistro didicisse, ut in principe dæmoniorum ejicerent dæmones. *Ideo,* inquit, *ipsi judices vestri erunt.* Ipsi, inquit, ipsi ignobilia et contemptibilia hujus mundi, in quibus non artificiosa malignitas, sed

sancta simplicitas meæ virtutis apparet, ipsi testes mei, judices erunt vestri. Deinde subjungit: *si autem ego in digito Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei.* Quid est hoc? Si ego, inquit, in Spiritu Dei dæmones ejicio, nec aliter possunt et filii vestri ejicere, quibus non malignam doctrinam, sed fidem simplicem dedi; procul dubio pervenit in vos regnum Dei, quo subvertitur regnum diaboli, cum quo et vos subvertimini.

Ideo enim dicitur Spiritus Sanctus digitus Dei, propter partitionem donorum quæ in eo dantur, unicuique propria, sive hominum, sive Angelorum. In nullis quippe membris nostris magis apparet partitio, quam in digitis. Hic autem Spiritus Dei, cujus dono justificamur, quo fit in nobis ut non peccare delectet, ubi libertas est; sicut præter hunc Spiritum peccare delectat, sicut servitus, á cujus operibus abstinendum est; hic Spiritus Sanctus per quem diffunditur caritas in cordibus nostris, quæ plenitudo legis est, recte digitus Dei in evangelio dicitur. Unde et legis tabulæ digito Dei conscriptæ sunt, et digitus Dei est Spiritus Dei, per quem sanctificamur, ut per dilectionem bene operemur. Ista condelectatio legi Dei secundum interiorem hominem, de magna nobis venit gratia Dei. In ea quippe interior homo noster renovatur de die in diem, cum in ea proficit perseveranter. Non enim timor est torquens, sed amor libens. Ibi sumus veraciter liberi, ubi non delectamur inviti.

Et quoniam Dominus dixerat Pharisæis: *filii vestri in quo ejiciunt*? ut ostenderet gratiam in eis suam, non meritum illorum; *nemo*, inquit, *potest intrare in domum fortis et vasa ejus eripere, nisi prius alligaverit fortem, et sic domum ejus diripiet.* Filii, inquit, vestri, qui vel crediderunt in me, vel adhuc credituri sunt, et ejecturi dæmones, non in dæmonum

principe, sed in simplici sanctitate; qui certe vel fuerunt, vel hoc sunt quod etiam vos estis, id est, peccatores atque impii; et ideo in domo diaboli et vasa diaboli: quomodo ab illo possent erui, quos prævalent iniquitate fortiter obtinebat, nisi alligaretur justitiæ meæ vinculis, et vasa ejus eriperem, quæ fuerant vasa iræ, et ea facerent vasa misericordiæ? Hoc est quod etiam beatus Apostolus de se ipso dicit: *fuimus et nos aliquando naturaliter filii iræ, sicut et cæteri.* Ergo et ipse vas erat in domo illius mali fortis, cum esset Ecclesiæ persecutor, blasphemus, injuriosus, in malitia et invidia, sicut fatetur, agens. Sed ille qui alligavit fortem, ab eo vas perditionis eripuit, et vas electionis effecit

Deinde ne putarent increduli et impii adversantes nomini christiano, propter diversas hæreses et schismata eorum, qui sub nomine christiano greges colligunt perditorum, etiam Christi regnum adversum se esse divisum consequenter adjungit: *qui non est mecum contra me est; et qui non congregat mecum, spargit.* Non ait: qui non est sub voce nominis mei, aut sub specie sacramenti mei; sed: *qui non est mecum, contra me est.* Nec ait: qui non congregat sub voce nominis mei; sed: *qui non congregat mecum, spargit.* Non ergo est adversum se divisum regnum Christi; sed homines conantur dividere quod emptum est pretio sanguinis Christi. Novit enim Dominus qui sunt ejus. *Et recedat,* inquit, *ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.* Nam si ab iniquitate non recedit non pertinet ad regnum Christi, etiam nominans nomen Christi. Quisquis ergo á catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere quod á Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam: immo separatus á compage unitatis et vinculo charitatis, æterno

supplicio punietur, etiamsi pro Christi nomine vivus incenderetur.

Ut ergo aliqua exempla divisionis commemorem, spiritus avaritiæ et spiritus luxuriæ, quia ille contrahit, ille profundit, divisi sunt adversum se; et ambo pertinent ad regnum diaboli. Apud idolorum cultores, spiritus Junonis et spiritus Herculis, divisi sunt adversum se et ambo pertinent ad regnum diaboli. Paganus hostis Christi et Judæus hostis Christi, divisi sunt adversum se; et ambo pertinent ad regnum diaboli. Arianus et Photinianus, ambo hæretici; et adversum se divisi. Donatista et Maximianista ambo hæretici; et adversum se ambo divisi. Omnia vitia erroresque mortalium inter se contrarii, divisi sunt adversum se; et omnes pertinent ad regnum diaboli; ideo non stabit regnum ejus. Justus autem et impius, fidelis et incredulus, catholicus et hæreticus, divisi quidem sunt adversum se; sed non ambo pertinent ad regnum Christi. Novit Dominus qui sunt ejus. Nemo sibi de vocabulo blandiatur. Si vult sibi prodesse nomen Domini, *recedat ab iniquitate qui invocat nomen Domini.*

Quod autem Dominus dicit in Evangelio: *cum spiritus immundus exierit ab homine*, significat quosdam ita credituros, ut ferre non possint labores continentiæ, et ad sæculum reddituri sint. Hæc enim vita de nobis exigit continentiam, ut etiam cum labore atque luctamine, ingemiscentes gravati, et *habitaculum nostrum, quod de cœlo est, superindui cupientes,* á sæcularibus delectationibus temperemus. Quod autem dictum est: *assumit secum alios septem*, intelligitur quia cum quis ceciderit de justitia, simulationem habebit. Cupiditas enim carnis expulsa per pænitentiam á consuetis operibus, cum non invenerit in quibus delectationibus conrequiescat avidius redit, et rursus occupat

mentem hominis, si cum pulsa esset, negligentia subsecuta est, ut non introduceretur, tamquam habitator, mundatæ domi sermo Dei per sanam doctrinam. Et quoniam non solum habebit illa septem virtutibus spiritualibus sunt contraria, sed etiam per hypocrisim se ipsas virtutes habere simulabit; propterea assumptis secum septem aliis nequioribus, hoc est, ipsa septenaria simulatione, redit illa concupiscentia, ut sint *novissima hominis pejora* quam erant prima.

Amplectemur itaque, fratres, charitatem; studeamus servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Qui enim deseruerit unitatem, violat charitatem; et quisquis violat charitatem, quodlibet magnum habeat, ipse nihil est. *Si linguis hominum loquatur et Angelorum; si sciat omnia sacramenta; si habeat omnem fidem, ita ut montes transferat; si distribuat omnia sua pauperibus; si corpus suum tradat, ut ardeat, charitatem autem non habeat; nihil est, nihil ei prodest.* Universa inutiliter habet, qui unum illud quo universis utatur non habet. Non ergo nos seducant qui carnaliter intelligunt, et corporalem separationem facientes, ab Ecclesia toto orbe diffusa spiritali sacrilegio separantur. Extra illam qui est, nec audit, nec videt; in illa qui est, nec surdus, nec cæcus est. Fugiamus ergo, quantum possumus, diversos et varios deceptores, quorum sectas et nomina præ multitudine sui nunc longum est enarrare. Multa enim habemus dicere vobis; sed non potestis illa portare modo. Unum vestris precibus commendo, ut ab eo qui catholicus non est, animum et auditum vestrum omnimodò avertatis, et fidem Ecclesiæ catholicæ teneatis; in qua discitur Pater et Filius et Spiritus Sanctus unus Deus, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum.

DOMINICA 4.ª QUADRAGESIMÆ

SERMO

Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces. *S. Joan. 6.*

Miraculum vocamus, quidquid arduum aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet. In quo genere nihil est populis aptius et omnino stultis hominibus, quam id quod sensibus admovetur. Sed in his quædam sunt quæ solam faciunt admirationem: quædam vero magnam etiam gratiam benevolentiamque conciliant. Nam si quis volantem hominem cernat, cum ea res nihil spectatori afferat commodi præter ipsum spectaculum, miratur tantummodo. Si quis autem gravi et desperato morbo affectus, mox ut jussum fuerit convalescat, admirationem sanitatis suæ sanantis etiam caritate superabit. Talia facta sunt illo tempore, quo Deus in vero homine, quantum sat erat, hominibus apparebat. Sanati languidi, mundati leprosi, incessus claudis, cæcis visus, surdis auditus est redditus. Homines illius temporis aquam in vinum conversam, transacta pedibus mária, mortuos resurgentes viderunt: ita quædam corpori manifestatiore beneficio, quædam vero menti occultiore signo, et omnia hominibus majestatis testimonio consulebant.

Sic in se tunc animas errantes mortalium divina commovebat auctoritas. Sed cur, inquies, ista modo non fiunt? Quia non moverent, nisi mira essent: at si solita essent, mira non essent. Nam diei et noctis vices, et constantissimun ordinem rerum cælestium, annorum quadrifariam conversionem, decidentes redeuntesque frondes arboribus, infinitam vim seminum, pulchritudinem lucis, colorum, sonorum, odorum, saporumque varietates, da qui primum videat atque sentiat, cum quo tamen loqui possimus, hebescit obruiturque miraculis: nos vero hæc omnia, non cognoscendi facilitate, quid enim horum caussis obscurius? Sed certe sentiendi assiduitate contemnimus. Fiunt tamen etiam nunc miracula in Christi nomine, sive per sacramenta ejus, sive per orationes vel memorias sanctorum ejus; sed non eadem claritate illustrantur et tanta quanta illa gloria diffamarentur.

Miraculum grande audivimus, dilectissimi, ut de quinque panibus et duobus piscibus saturarentur quinque hominum millia, et residua fragmentorum implerent duodecim cophinos. Grande miraculum: sed non multum mirabimur factum, si attendamus facientem. Ille multiplicavit in manibus frangentium quinque panes, qui in terra germinantia multiplicat semina, ut grana pauca mittantur, et horrea repleantur. Sed quia illud omni anno facit, nemo miratur. Admirationem tollit, non facti vilitas sed assiduitas. Majus enim miraculum est gubernatio totius mundi, quam saturatio quinque millium hominum de quinque panibus: et tamen hæc nemo miratur: illud mirantur homines, non quia majus est, sed quia rarum est. Quis enim et nunc pascit universum mundum, nisi ille qui de paucis granis segetes creat? Panes autem illi quinque, quasi semina erant, non quidem terræ mandata, sed ab eo qui terram fecit multiplicata.

Hoc enim admotum est sensibus, quo erigeretur mens, et exhibitum oculis ubi exerceretur intellectus; ut invisibilem Deum per visibilia opera miraremur; et erecti ad fidem, et purgati per fidem, etiam ipsum invisibiliter videre cuperemus, quem de rebus visibilibus invisibilem nosceremus. Nec tamen sufficit hæc intueri in miraculis Christi: Interrogemus ipsa miracula, quid nobis loquantur de Christo: habent, si intelligantur, linguam suam. Nam quia ipse Christus Verbum Dei est, etiam factum Verbi verbum nobis est. Hoc ergo miraculum, sicut audivimus quam magnum sit, quæramus etiam quam profundum sit: non tantum ejus superficie delectemur, sed etiam altitudinem perscrutemur. Vidimus, laudavimus magnum quiddam, præclarum quiddam et omnino divinum, quod fieri nisi á Deo non possit. Quia ergo vidimus, quia laudavimus, legamus et intelligamus.

Quinque panes hordeacei, quibus in monte Dominus turbas pavit, significant veterem legem; sive quia nondum spiritualibus, sed adhuc carnalibus data est, id est quinque corporis sensibus deditis, nam et ipsæ turbæ quinque millia hominum fuerunt: sive quia per Moysem lex ipsa data est; Moyses enim quinque libros scripsit. Et quod hordeacei erant panes, bene significant, vel ipsam legem, qua ita data erat, ut in ea vitale animæ alimentum corporalibus sacramentis obtegeretur; hordei enim medulla tenacissima palea tegitur: vel ipsum populum nondum expoliatum carnali desiderio, quod tamquam palea cordi ejus inhærabat; id est, nondum corde circumcisum, ita ut nec trituratione tribulationum, cum per deserta quadraginta annis duceretur, intellectu revelato carnalia integumenta deponeret sicut nec hordeum areæ tritura illo paleari tegmine exuitur. Itaque illi populo congruenter lex talis data est.

Duo autem pisces, qui saporem suavem pani dabant, duas illas personas videntur significare, quibus populus ille regebatur, ut per eas consiliorum moderamen acciperet, regiam scilicet et sacerdotalem, ad quas etiam sacrosanta illa unctio pertinebat: quarum officium erat procellis ac fluctibus popularibus nunquam frangi atque corrumpi, et violentas turbarum contradictiones, tamquam adversantes undas, sæpe disrumpere, interdum eis, custodita sua integritate cedere: prorsus more piscium tamquam in procelloso mari, sic in turbulenta populi administratione vexari. Quæ tamen duæ personæ Dominum nostrum præfigurabant. Ambas enim solus ille sustinuit, et non figurate, sed propie solus implevit. Nam et Rex noster est Dominus Jesus Christus, qui nobis pugnandi et vincendi demonstravit exemplum. Ipse est etiam: *Sacerdos* noster *in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui se ipsum obtulit holocaustum pro peccatis nostris*, et ejus sacrificii similitudinem celebrandam in suæ passionis memoriam commendavit ut illud quod Melchisedech obtulit Deo, jam per totum orbem terrarum in Christi Ecclesia videamus offerri.

Quinque millia hominum significabant plebem sub quinque libris Legis constitutam. Quinarius enim numerus in vetere Testamento maxime commendatur. Quinque illi libri Moysi, quam multos libros cum exponuntur, tamquam frangendo, id est, disserendo fecerunt. Nihil igitur vacat, omnia innuunt, sed intellectorem requirunt. Cur enim quinque millia erant, nisi quia sub lege erant, quæ Lex quinque libris Moysi explicatur? Unde et quinque illis porticibus languidi prodebantur, non sanabantur. Piscina illa et aqua illa populum mihi videtur significasse Judœorum. Significari enim populum nomine aquarum, aperte nobis indicat Apocalypsis Joannis: ubi ei cum ostenderentur aquæ multæ, et inte-

rrogaset quid essent, responsum accepit, populos esse. Aqua ergo illa, id est, populus ille, quinque libris Moysi, tamquam quinque porticibus, claudebatur. Sed illi libri prodebant languidos, non sanabant. Lex enim peccatores convincebat, non absolvebat. Ideo littera sine gratia reos faciebat, quo confitentes gratia liberabat. Ille autem ibi curavit languidum, qui est hic turbas de quinque panibus pavit.

Quod autem super fænum turba illa discubuit, significat eos qui testamentum vetus acceperant; quia regnum eis temporale et Jerusalem temporalis promittebatur, in spe carnali collocatos fuisse. *Omnis enim caro fœnum, et claritas hominis ut flos fœni*. Quod autem de reliquiis fragmentorum duodecim cophini buccellarum repleti sunt, significabat de ipsius legis adapertione et disputatione quam Judæi reliquerant et deseruerant, repletos fuisse discipulos Domini, in quibus duodenarius numerus principatum tenet. Nondum enim erat scriptura nobi Testamenti, quando Dominus, quasi frangendo et aperiendo quod durum et clausum erat in lege, discipulos implevit, cum eis post resurrectionem apperuit Scripturas veteres, *incipiens á Moyse et omnibus Prophetis, interpretans illis in omnibus Scripturis quœ de ipso erant*. Nam et tunc eum duo illorum in panis fractione cognoverunt.

Hæc cum exponuntur, franguntur: cum intelliguntur, manducantur. Convertamur ergo ad eum qui ista fecit. Ipse est enim panis, qui de cælo descendit: sed panis qui reficit, et non deficit: panis qui sumi potest, consumi non potest. Ipsum panem etiam manna significabat. Unde dictum est: *panem cœli dedit illis, panem Angelorum manducavit homo*. Quis est panis cæli, nisi Christus? Sed ut panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum factus est homo. Si enim hoc non factus esset, carnem ipsius non haberemus,

panem altaris non manducaremus. Festinemus ad hereditatem, quia magnum inde pignus accepimus. Desideremus vitam Christi, quia tenemus pignus mortem Christi. Quomodo nobis non dabit bona sua, qui passus est mala nostra?



DOMINICA PASSIONIS.

SERMO

Si veritatem dico vobis quare non creditis mihi. *S. Joann. 8.*

In ista lectione sancti Evangelii, quæ hodie recitata est, á potentia discimus patientiam. ¿Quid enim sumus servi ad Dominum, peccatores ad Justum, creatura ad Creatorem? Tamen quomodo si quid mali sumus, á nobis sumus; ita quidquid boni sumus, ab illo et per illum sumus. Et nihil sic quærit homo quomodo potentiam: habet Dominum Christum magnam potentiam: sed prius ejus imitatur patientiam, ut perveniat ad potentiam. Quis nostrum patienter audiret si alicui diceretur: *dœmonium habes?* Quod dictum est ei qui non solum homines salvabat, sed etiam dæmonibus imperabat.

Hoc enim cum dixissent Judæi: *nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es, et dœmonium habes?* horum duorum sibi objectorum unum negavit, alterum non negavit. Respondit enim, et ait: *ego dœmonium non habeo.* Non dixit: Samaritanus non sum et utique duo fuerant objecta. Quamvis maledictum maledicto non reddiderit; quamvis convitium non convitio refutaverit; pertinuit tamen ad eum negare unam rem, alteram non

negare. Non frustra, fratres; Samaritanus enim interpretatur custos. Noverat se ille nostrum esse custodem. *Non enim dormit neque dormitat qui custodit Israel*; et: *nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilabunt qui custodiunt.* Est ergo ille custos noster, qui creator noster.

Quis autem custos, nisi Salvator Dominus Jesus Christus? Si diceret: non sum Samaritanus, diceret: non sum custos. Et quis alius custodiret? Audi illum custodientem animas servorum suorum et dicentem: *nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere.* Nemo timeat. *Custodit Dominus animas servorum suorum de manu peccatoris eruet eas. Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum laboravit qui custodit eam.* Laboramus in custodiendo; sed vanus est labor noster, nisi ille custodiat. Custodit ille cum vigilamus, custodiet et cum dormierimus. Est ergo custos ille noster, qui creator noster.

Si Dominus dixisset Judæis: non sum Samaritanus, dixisset: non sum custos. Et quis alius custodiret? *Sed ecce non dormitavit, neque obdormiet, qui custodit Israel.* Tu forte conversurus te eras ad homines custodes, et dicturus: quem sum inventurus non dormientem? Vis habere ergo custodem non dormientem neque dormitantem? *Ecce non dormiet, neque dormitabit qui custodit Israel.* Christus enim custodit Israel. Audi etiam illum custodientem animas servorum suorum et dicentem: *nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere.* Nemo timeat. *Custodit Dominus animas servorum suorum, de manu peccatoris eruet eas.* Ad hoc ergo solum quod dæmonium non haberet, non autem se Samaritanum non esse, Dominus respondit.

Quod ergo ait Dominus in Evangelio: *qui ex Deo est, verba Dei audit;* ad hos pertinet quos præscierat

fore credituros: ideo ipsos dixit *ex Deo*, quoniam regenerationis adoptione nascitturi erant ex Deo: Quod vero sequitur: *propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis;* eis dictum est, quos prœsciebat in eo permansuros quod ex diabolo erant, id est, in suis peccatis atque impietate morituros, in qua ei similes erant; nec venturos ad regenerationem in qua essent filii Dei, hoc est, ex Deo nati homines creati. Secundum hanc prædestinationem locutus est Dominus: non quod aliquem hominem invenerit, qui vel secundum regenerationem jam esset ex Deo, vel secundum naturam jam non esset. Audire enim verbum Dei et non facere, in arena ædificare est: audire et facere in petra ædificare est: nec audire, nec facere, nihil edificare est. Ergo in petra ædifica, non in arena; nam si in arena ædificas, animam non ædificas.

Dixit etiam Dominus Judæis: *amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.* Hæc Dominus, parum est si dicam, morituris loquebatur moriturus. Cum ergo et morituris loqueretur, et moriturus loqueretur, quid sibi vult quod ait: *qui sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum*, nisi quia videbat Dominus aliam mortem, de qua nos liberare venerat, mortem secundam, mortem æternam, mortem ghennarum, mortem damnationis cum diabolo et angelis ejus? Ipsa est vera mors: nam ista migratio est. Quid est ista mors? Relictio corporis, depositio sarcinæ gravis: sed si alia sarcina non portetur, qua homo in gheennas præcipitatur. De ipsa ergo morte Dominus dixit: *mortem non videbit in æternum, qui sermonem meum servaverit.*

Non expavescamus istam mortem, sed illam timeamus. Et mors quidem quam timent homines, separatio est animæ á corpore: mors autem, quam non timent homines, separatio est animæ á Deo. Et

plerumque cum timent homines istam, quæ separat animam á corpore, incidunt in illam ubi anima separatur à Deo. Hæc est ergo vera mors. Unde et ipse Dominus facturus Martyres, et caput Martyrum futurus sicut, jam memini, ait: *nolite timere eos qui occidunt corpus, et postea non habent quid faciant. Sed eum, inquit, timete qui habet potestatem et corpus et animam occidere in gehenna ignis.* Ecce de qua morte loquebatur, cum diceret: *qui sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.* Servemus ergo, fratres, sermonem ipsius in fide perventuri ad speciem, cum acceperimus plenissimam libertatem.

Ad illud autem quod dixit Dominus Judæis: *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum, et vidit et gavisus est;* irati illi responderunt: *quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti?* Et Dominus: *amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.* Appende verba, et cognosce mysterium. Intellige *fieret,* ad humanam facturam; *sum,* vere ad divinam pertinere substantiam. Non dixit: antequam Abraham esset, ego eram; sed antequam Abraham fieret, qui nisi per me non fieret, ego sum. Neque hoc dixit: antequam Abraham fieret, ego factus sum. *In principio* enim *fecit Deus cœlum et terram, nam in principio erat Verbum. Antequam fieret Abraham, ego sum.* Agnoscite Creatorem, discernite creaturam. Qui loquebatur, semen Ahrahæ factus erat; et ut Abraham fieret, ante Abraham ipse erat.

Hinc jam velut Abrahæ apertissimo convitio commoti sunt acrius. Blasphæmasse quippe illis visus est Dominus Christus, quoniam dixit: *antequam Abraham fieret, ego sum. Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum.* Tanta duritia quo curreret nisi ad similes? Jesus autem, tamquam homo, tamquam in formæ servi, tamquam humilis, tamquam passurus, tamquam

morituros, tanquam nos suo sanguine redempturus: non tanquam ille qui est, non tamquam in principio Verbum, et Verbum apud Deum; abscondit se ab eis, ne lapidaretur. Nam cum illi lapides tulerunt, ut mitterent in eum, quid magnum erat ut eos continuo dehiscens terra sorberet, et pro lapidibus inferos invenirent? Non erat magnum Deo: sed magis erat commendanda patientia, quam exerenda potentia. Tanquam homo á lapidibus fugit: sed ¡væ illis a quorum lapideis cordibus Deus fugit!



DOMINICA PALMARUM

SERMO

Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam et pullum, filium subjugalis.—*S. Matt. 21.*

De humilitate Christi loquendum est vobis hodie, fratres mei. Cum enim Christus nominatur, maxime nobis humilitas commendatur. Viam nobis fecit per humilitatem; quia per superbiam recesseramus a Deo, redire ad eum nisi per humillatem non poteramus, et quem nobis præponeremus ad imitandum, non habebamus. Omnis enim mortalitas hominum superbia tumuerat. Et si existeret aliquis humilis vir in spiritu, sicut erant Prophetæ, Patriarchæ, dedignabatur genus humanum imitari humiles homines. Ne ergo dedignaretur homo imitari hominem humilem, Deus factus est humilis, ut vel sic superbia generis humani non dedignaretur sequi vestigia Dei.

Posteaquam Dominus quatriduanum mortuum suscitavit, stupentibus Judæis, et aliis eorum videndo credentibus, aliis invidendo pereuntibus, propter odorem bonum, qui est aliis ad vitam, aliis ad mortem; posteaquam discubuit in domo recumbente Lazaro, qui

fuerat mortuus suscitatus; post ungüentum effusum super pedes ejus, unde domus odore completa est; posteaquam vanam sævitiam et stultissimum et dementissimum scelus Judæi de occidendo Lazaro corde perdito conceperunt; nunc intendat caritas vestra, ante Domini passionem quantus fructus apparuerit prædicationis ejus, et quantus grex ovium ex his quæ perierant domus Israel, vocem pastoris audierit.

Sic enim loquitur Evangelium, quod modo cum recitaretur, audistis: *cum appropinquasset Jesus Jerosolymis, et venisset Bethphage ad montem Oliveti; tunc misit duos discipulos dicens eis: ite in castellum, quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea: solvite et adducite mihi; et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet: et confestim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: dicite filiæ Sion: ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam et pullum, filium subjugalis. Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præcepit illis Jesus. Et adduxerunt asinam, et pullum: et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via: alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via: turbæ autem, quæ præeedebant, et quæ sequebantur, clamabant dicentes: hosanna Filio David: benedictus qui venit in nomine Domini.*

Rami palmarum laudes sunt, significantes victoriam: quia erat Dominus mortem moriendo superaturus, et trophæo crucis de diabolo mortis principe triumphaturus. *Benedictus* autem *qui venit in nomine Domini*, sic potius accipiendum est, ut in nomine Domini, in nomine Dei Patris intelligatur: quamvis possit intelligi

etiam in nomine suo, quia et ipse Dominus est. Sed verba ejus melius nostrum dirigunt intellectum qui ait: ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me: alius veniet in nomine suo, hunc suscipietis. *Humilitatis* enim *magister est Christus, qui humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Non itaque amittit divinitatem, quando nos docet humilitatem: in illa est Patri æqualis, in hac nobis similis: per quod Patri est æqualis, nos ut essemus creavit: per quod nobis est similis, ne pereamus redemit.

Has ei laudes turba dicebat: *hossana Filio David: benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel.* Quam crucem mentis invidentia principum Judæorum perpeti poterat, quando regem suum Christum tanta multitudo clamabat? Sed quid fuit Domino regem esse Israel? Quid magnum fuit regi sæculorum, regem fieri hominum? Non enim Rex Israel Christus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hostesque visibiliter debellandos: sed Rex Israel, quod gentes regat, quod in æternum consulat, quod in regnum cælorum credentes, sperantes, amantesque perducat. Dei ergo Filius æqualis Patri, Verbum per quod facta sunt omnia, quod Rex esse voluit Israel, dignatio est, non promotio: miserationis indicium est, non potestatis augmentum. Qui enim appellatus est in terra Rex Judæorum, in cælis est Dominus Angelorum.

Adhibetur etiam huic facto propheticum testimonium, ut apparere quod maligni principes Judæorum eum non intelligebant, in quo implebantur quæ legebant. *Hoc autem totum factum est*, ait quidem Evangelium, *ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: dicite filiæ Sion: ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium subjugalis.* In illo ergo populo erat filia Sion:

ipsa est Jerusalem quæ Sion. Hæc filia Sion, cui divinitus ista dicuntur, in illis erat ovibus, quæ vocem pastoris audiebant; in illa erat multitudine, quæ Dominum venientem tanta devotione laudabat, tanto agmine deducebat. Sed pullum asinæ, in quo nemo sederat, (hoc enim apud alios Evangelistas invenitur,) intelligimus populum gentium, qui Legem Domini non acceperat. Asinam vero, (quia utrumque jumentum Domino adductum est,) plebem ejus quæ veniebat ex populo Israel, non indomitam plane, sed quæ præsepe Domini agnovit.

Humilitatem sequamur, fratres mei. Vel hinc solum discamus quia humilitatem nos docuit Christus, quia cum Deus esset, factus est homo. Humilitas Christi superbis displicet: tibi autem christiano si placet imitare. Hæc est disciplina christiana. Puderet te fortasse imitare humilem hominem: saltem imitare humilem Deum. Qui enim non servat humilitatem, longe est á magistro humilitatis. Superbia quippe facit voluntatem suam; humilitas vero facit voluntatem Dei. Ideo doctor humilitatis venit non facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui missit illum. Veniamus ad eum, intremus ad eum, incorporemus ei, ut nec nos faciamus voluntatem nostram, sed voluntatem Dei: et non nos ejiciet foras, quia membra ejus sumus, quia caput nostrum esse voluit docendo humilitatem. Non mittit foras nisi superbia: quomodo ergo exit foras qui servat humilitatem?



DOMINICA RESSURECTIONIS.

SERMO

Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. 1.—*Ad Colos.*

Audistis, fratres carissimi, lectionem Sancti Evangelii de resurrectione Christi. In resurrectione Christi constabilita est fides nostra. Passionem Christi et Pagani et Judæi crediderunt: resurrectionem nonnisi Christiani. Passio Christi significat miserias hujus vitæ: resurrectio Christi ostendit beatitudinem futuræ vitæ. In præsenti laboremus: in futura speremus. Modo tempus est operis: tunc mercedis. Qui piger est in exhibendo opere, impudens est in exigenda mercede. Resurrectio enim Domini nostri Jesu Christi nova vita est credentium in Jesum, et hoc est sacramentum passionis et resurrectionis ejus quod valde nosse et agere debetis. Non enim sine caussa fons vitæ, unde bibitur ut vivatur, bibit hunc calicem qui ei non debebatur. Non enim Christo debebatur mori.

Unde venerit mors, originem ipsius quæramus. Pater mortis peccatum est. Si enim numquam peccaretur, nemo moreretur. Legem Dei, hoc est, præceptum Dei cum conditione homo primus accepit; ut si

servaret, viveret, si corrumperet, moreretur. Non se credendo moriturum, fecit unde moreretur; et invenit verum fuisse quod dixerat qui legem dederat. Non enim frustra dixerat Dominus: *qua die comederis, morte morieris.* Eo quippe die mutata in deterius vitiataque natura, atque á ligno vite separatione justissima, mortis in primo homine etiam corporalis necessitas facta est, cum qua nos necessitate nati sumus. Inde labor, inde miseria, inde etiam post mortem primam mors secunda, id est, post mortem temporalem mors sempiterna. Neque enim aliquid patimur in ista vita, nisi ex illa morte quam meruimus primo peccato.

Huic ergo conditioni mortis, his legibus inferni obstrictus nascitur omnis homo; sed præter illum hominem, qui homo factus est, ne periret homo. Non enim legibus mortis venit obstrictus: ideo dicitur in Psalmo: *inter mortuos liber*. Quis enim alius inter mortuos liber, nisi in similitudine carnis peccati inter peccatores solus sine peccato? Quem sine concupiscentia virgo concepit, quem et virgo peperit, et virgo permansit. Qui vixit sine culpa, qui non est mortuus propter culpam, communicans nobiscum pænam, non communicans culpam. Pæna culpæ mors: Dominus Jesus Christus mori venit, peccare non venit: communicando nobiscum sine culpa pænam, et culpam solvit et pænam. Quam pænam solvit? Quæ nobis debebatur post istam vitam. Ergo crucifixus est, ut in cruce ostenderet veteris hominis nostri occasum; et resurrexit, ut in sua vita ostenderet nostræ vitæ novitatem.

Audiamus nunc Apostolum dicentem: *si surrexistis cum Christo, qaœ sursum sunt quœrite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quœ sursum sunt sapite, non quœ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*

Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos cum illo apparebitis in gloria. Hæc sunt verba Apostoli, ipse dicit Apostolus, non ego: sed tamen verum dicit, et ideo dico et ego: Quare illud dico et ego? *Credidi propter quod locutus sum.* Non enim perfecte credit qui quod credit loqui non vult. Si bene vivimus, mortui sumus, et resurreximus. Qui autem nondum mortuus est, nec resurrexit, male adhuc vivit: si male vivit, non vivit: moriatur, ne moriatur. Quid est moriatur, ne moriatur? Mutetur, ne damnetur. Ei qui nondum mortuus est dico, ut moriatur: ei qui adhuc male vivit, dico, ut mutetur. Si enim male vivebat, et jam non male vivit, mortuus est: si bene vivit, resurrexit.

Sed quid est bene vivere? *Quœ sursum sunt sapere, non quœ super terram.* Scio, omnes vultis beate vivere: sed unde homo beate vivit, hoc non vultis quærere. Quæris aurum, quia putas te de auro beatum futurum: sed aurum te non facit beatum. Quare vis esse in isto sæ culo sublimatus? Quia honore hominum et pompa sæculi putas te beatum futurum; sed pompa sæculi non te facit beatum. Et quidquid hic aliud quæris, cum sæculariter quæris, cum amando terram quæris; propterea quæris, ut sis beatus: sed nulla res terrena te facit beatum. Quare non cessas quærendo mendacium? *Filii hominum, quousque graves corde?* Non vultis esse graves corde, qui terra oneratis cor vestrum? Quousque fuerunt graves corde homines? Antequam venerit Christus, antequam resurgeret Christus, fuerunt homines graves corde. *Quo usque graves corde? Ut quid diligitis vanitatem, et quœritis mendacium?* Volentes beati esse, eas res quæritis unde miseri sitis. Fallit vos quod quæritis, mendacium est quod quæritis.

Beatus vis esse? Ostendo si vis, unde sis beatus. Ecce ibi oculum habe in Christi resurrectione, quia ita magnificavit Dominus sanctum suum, ut resuscita-

ret eum á mortuis, et daret ei honorem in cœlo sedendi ad dexteram suam. Ostendit tibi quid debeas sapere, si vis beatus esse: hic enim esse non potes. In hac vita beatus esse non potes: nemo potest. Bonam rem quæris, sed terra ista non est regio ejus rei quam quæris. Aurum si quæreres in loco ubi non est, ille qui novit quia non est ibi, nonne diceret tibi: quid fodis, quid terram sollicitas? Fossam facis quo descendas, non ubi aliquid invenias. Quid es responsurus admonenti te? Aurum quæro. Et ille: non tibi dico: nihil est quod quæris; sed non est ubi quæris. Sic et tu quando dicis: beatus esse volo; bonam rem quæris, sed non est hic. Si habuit hic illud Christus, habebis et tu. In regione, mortis tuæ, quid ille invenit attende: veniens de alia regione quid hic invenit, nisi quod hic abundat? Acetum hic bibit, fel hic habuit. Ecce quid in cella tua invenit. Sed ad magnam mensam suam te invitavit, mensam cœli, mensam Angelorum, ubi ipse panis est.

Descendens ergo et ista mala inveniens in cella nostra, et non dedignatus est talem mensam nostram, et promisit nobis suam. Et quid nobis dicit? Credite, fratres mei, credite nos venturos ad bona mensæ suæ; quando non est dedignatus mala mensæ nostræ. Malum nostrum tulit, et bonum suum non dabit? Utique dabit. Vitam suam promitit nobis: sed incredibilius est quod fecit. Mortem suam prærogavit nobis: tamquam diceret ad vitam meam vos invito, ubi nemo moritur, ubi vere vita beata est, ubi cibus non corrumpitur, ubi reficit et non deficit. Ecce quo vos invito, ad regionem Angelorum, ad amicitiam Patris et Sancti Spiritus, ad cœnam sempiternam, ad fraternitatem meam; postremo ad me ipsum; ad vitam meam vos invito. Non vultis credere quia dabo vobis vitam meam? Tenete pignus mortem meam. Modo ergo cum in ista carne co-

rruptibili vivimus, morum mutatione cum Christo moriamur, amore justitiæ cum Christo vivamus: beatam vitam non accepturi, nisi cum ad illum venerimus, qui venit ad nos, et cum illo esse cæperimus qui mortuus est pro nobis.



DOMINICA 1.ª POST PASCHA VEL IN ALBIS

SERMO

Cum ergo sero esset die illo una sabbatorum et fores essent clausæ ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum: venit Jesus et stetit in medio et dixit eis: Pax vobis. —*(S. Joann. cap. 20.)*

Dominus noster Jesus Christus, sicut Apostolus dixit, *mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.* Sicut morte ipsius seminamur, sic resurrectione ipsius germinamus. Etenim morte ipsius significatur mors vitæ nostræ. De hac re audi Apostolum: *consepulti*, inquit, *sumus Christo per baptismum in mortem, ut quemadmodum Christus resurrexit á mortuis sic et nos in novitate vitæ ambulemus.* Ille non habuit quod emendaret in cruce quia sine peccato ascendit in crucem. Nos in cruce ejus emendemur, et ibi ponamus quod male contraximus, ut justificari ejus resurrectione possimus. Distinguere enim ita debetis: *traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.* Non dixit: traditus est propter justificationem nostram et resurrexit propter delicta nostra. In ejus traditione delictum

sonat, in ejus resurrectione justitia sonat. Ergo moriatur delictum, et resurgat justitia.

Audivit Caritas vestra, cum sanctum Evangelium legeretur, Dominum et Salvatorem nostrum Jesum Christum post resurrectionem suam clausis ostiis introisse ad discipulos suos. Ait enim: *cum ergo sero esset die illa, una sabbatorum, et fores essent clausæ ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, et stetit in medio et dixit eis: pax vobis. Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus et latus.* Clavi enim manus fixerant, lancea latus ejus aperuerat: ubi ad dubitantium corda sananda, vulnerum sunt servata vestigia. *Gavisi sunt discipuli viso Domino. Dixit ergo eis iterum: pax vobis.* Iteratio confirmatio est: ipse quippe dat per Prophetam promissam pacem super pacem. *Sicut misit me Pater*, inquit *et ego mitto vos.* At qualem Patri Filium novimus; sed hic verba mediatoris agnoscimus. Medium quippe se ostendit dicendo: ille me, et ego vos.

Videamus ergo quid nobis ad loquendum hodierna lectione proponitur. Ipsa quippe lectio admonet nos et quodam modo loquitur nobis, ut aliquid dicamus, quemadmodum Dominus, qui in ea soliditate corporis resurrexit, ut non solum videretur a discipulis, sed etiam tangeretur, potuerit illis apparere ostiis clausis. Magnum miraculum; sed mirari desinis, si Deum cogitaveris. Mirum enim esset, si solus homo hoc fecisset. Ostiis clausis intravit. Nonnullæ de hac re ita moventur, ut pene periclitentur, afferentes contra miracula divina præjuditia ratiocinationum suarum. Sic enim disputant: si corpus erat, si caro et ossa erant, si hoc surrexit de sepulchro quod pependit in ligno, quomodo per clausa ostia intrare potuit? Si comprehendis modum, non est miraculum: et si miraculum tibi non videtur, propinquas ut neges quia et de sepulchro resurrexit.

Respice etiam ab initio miracula Domini tui, et redde mihi de singulis rationem. Vir non accessit, et virgo concepit. Redde rationem quomodo sine masculo virgo conceperit. Ubi defecerit ratio, ibi est fidei ædificatio: Ecce habes unum in Domini conceptu miraculum audi etiam in partu. Virgo peperit, et virgo permansit. Jam tum Dominus antequam resurgeret, per clausa ostia natus est. Ille enim vivens per clausas januas intravit, qui nascendo integritatem matris non violavit. Sanctæ enim matri omnipotens Filius nullo modo virginitatem natus abstulit, quam nasciturus elegit.

Sed ipsa est infidelitas, cui nulla in Christo videtur esse divinitas. Porro si fides Christum Deum credit, ei non dubitat utrumque possibile, ut sponsus infans de thalamo suo, hoc est, utero virginali, illæsa matris virginitate procederet, et corpus majoris ætatis non reserato aditu domus, intus positis præsentaret.

Quæris á me et dicis: si per clausa ostia Dominus intravit, ubi est corporis modus? Et ego respondeo: si super mare ambulavit, ubi est corporis pondus? Sed fecit illud Dominus tamquam Dominus. Nunquid ergo cum resurrexit, destitit esse Dominus? Quid quod et Petrum fecit ambulare super mare? Quod in illo divinitas potuit, in isto fides implevit. Sed Christus, quia potuit; Petrus quia Christus adjuvit. Sine ulla dubitatione Petrus ad verbum jubentis, ad præsentiam sustentantis, ad præsentiam regentis, sine ulla cunctatione desiluit in aquas, et ambulare cœpit. Potuit quod Dominus, non in se, sed in Domino. Fides valuit quod humana infirmitas non valeret. Si ergo cœperis humano sensu miraculorum discutere rationem, timeo ne perdas fidem. Nescis enim nihil impossibile Deo?

Quicumque ergo tibi dixerit: si intravit per ostia clausa, non erat corpus; responde tu illi a contrario: immo si tactus est, corpus erat; si manducavit, corpus

erat; et fecit illud miraculo, non natura. Nonne admirandus est quotidianus cursus ipsæ naturæ? Omnia miraculis plena sunt; sed assiduitate viluerunt: Redde mihi rationem: aliquid interrogo de consuetis et solitis: redde rationem quare tam magnæ arboris fici, semen tam modicum est, ut videri vix possit, et humilis cucurbita tam grande semen parit. In illo tamen grano seminis exiguo, vix visibili, si consideras animo, non oculis, in illa exiguitate, illis angustiis, et radix latet, et robur insertum est, et folia futura alligata sunt et fructus qui apparebit in arbore, jam est præmissus in semine. Non opus est multa percurrere: de quotidianis rebus nemo reddit rationem, et exigis à me de miraculis rationem? Evangelium ergo lege, et crede facta quæ mira sunt. Plus est quod fecit Deus, et non miraris quod excedit omnia opera; nihil erat et mundus est.

Sed non potuis, inquis, corporis moles transire per ostia quæ clausa erant. Quanta erat illa moles? rogo te. Tanta utique quanta est in omnibus: nunquid tanta quanta est in camelo? Non utique tanta. Lege Evangelium, audi ipsum: dificultatem divitis intrantis in regnum cœlorum cum voluisset ostendere, ait: *Facilius intrat camelus per foramen acus, quam dives in regnum cœlorum.* Hoc audito discipuli, considerantes nullo modo fieri posse, ut camelus per foramen acus intraret, contristati sunt apud se dicentes: *Si ita est, quisnam poterit salvare semetipsum?* Si facilius intrat camelus per foramen acus quam dives in regnum cœlorum; nullo modo potest camelus intrare per foramen acus nullus ergo divitum salvari potest, Respondit Dominus: *Quæ hominibus imposibilia sunt, Deo facilia sunt.* Potest Deus et camelum per foramen acus trajicere, et divitem introducere in regnum cœlorum. Quid mihi de ostiis clausis calumniaris? Ostia clausa habent vel rimam: compara rimam ostiorum foramini acus, compara molem

carnis humanæ magnitudini camelorum: et nolli calumniari divinitati miraculorum.

Credamus, ergo, fratres. Non enim laus fidei Christianorum est, quia credunt, mortuum Christum; sed quia credunt resurrexisse Christum. Sola hæc fides est, quæ Christianos ab omnibus hominibus discernit et separat. Aliquid magnum est agnoscere virtutem resurrectionis Christi. *Traditus est enim propter delicta nostra; et resurrexit propter justificationem nostram.* Quid est propter justificationem nostram? Ut justificet nos, ut justos faciat nos. Per passionem transiit Dominus a morte ad vitam, et fecit nobis viam credentibus in resurrectionem ejus, ut transeamus et nos de morte ad vitam. Hæc est spes nostra; ad hoc credimus, ad hoc duramus et perseveramus in tanta malignitate hujus sæculi, consolante nos spe, antequam spes fiat res. Res enim erit, cum et nos resurrexerimus, et in cælestium habitum commutati, æquales Angelis facti fuerimus. Quis hoc sperare auderet, nisi veritas promitteret?



DOMINICA 2.ᴬ POST PASCHA.

SERMO

Ego sum pastor bonus.—
(Joan. cap. 10.)

Spes tota nostra quia in Cristo est, et quia omnis vera et salubris gloria nostra ipse est, non nunc primum didicit Caritas vestra. Estis enim in ejus grege qui intendit et pascit Israel. Sed quoniam sunt pastores, qui pastorum nomine gaudere volunt, pastoris autem officium implere nolunt, quid ad eos per Evangelium dicat, sicut lectum audivimus, recenseamus. Audite vos cum intentione, audiamus nos cum tremore: *Ego sum* inquit, *pastor bonus.* Et unde sit pastor bonus, consequentes ostendit: *pastor,* inquit, *bonus animam suam ponit pro ovibus. Mercenarius autem, et qui non est, pastor, videt lupum venientem, et fugit: quoniam non est ei cura de ovibus; mercenarius est enim.* Hanc lectionem modo, cum legeretur audivimus, hinc cum vestra Sanctitate aliquid loqui decrevimus. Adjuvabit ipse, ut vera dicamus, si non nostra dicamus. Nam si nostra dixerimus, pastores erimus pascentes nos, non oves: si autem illius sunt quæ dicimus, per quemlibet ipse vos pascet.

Duas personas dixit Dominus in Evangelio, et debemus illas investigare, pastoris boni et mercenarii. Cum legeretur, puto quod animadvertistis, designavit pastorem bonum, designavit et mercenarium. Pastorem bonum dixit animam suam ponere pro ovibus: mercenarium dixit, lupum si videat, fugere; quia non est illi cura de ovibus: mercenarius est enim, non pastor. Si invenerimus duas istas personas, invenit Sanctitas vestra et quos diligatis et quos toleretis. Diligendus est pastor, tolerandus est mercenarius. *Bonus pastor*, *ait Dominus*, *animam suam dat pro ovibus suis*. Non ipse unus hoc fecit: et tamen si illi qui fecerunt membra ejus sunt, idem ipse unus hoc fecit. Ipse enim potuit facere sine illis; ipsi sine illo unde potuerunt, cum ipse dixerit: *sine me nihil potestis facere?* Hinc autem ostendimus quod et alii fecerint, quia ipse apostolus Joannes; qui hoc quod audistis Evangelium prædicavit, in Epistola sua dixit: *sicut Christus pro nobis animam suam posuit*, *sic et nos debemus animas pro fratribus ponere*. Debemus dixit; quia debitores nos fecit, qui primus exhibuit.

Quomodo ergo Dominus pro nobis animam suam posuit, sic et nos debemus ad ædificandam plebem et asserendam fidem, animas pro fratribus ponere. Ideo Petro, quem facere volebat pastorem bonum, non in ipso Petro, sed in corpore suo, ait: *Petre*, *amas me? Pasce oves meas*. Hoc semel, hoc iterum, hoc tertio usque ad ejus tristitiam. Et cum tantum interrogasset Dominus, quantum interrogandum esse judicavit, ut ter confiteretur qui ter negaverat, et ei suas oves pascendas tertio commendasset; ait illi: *cum junior esses*, *cingebas te*, *et ambulabas ubi volebas: cum autem senueris extendes manus tuas*, *et alter te cinget*, *et ducet quo tu non vis*. Et exposuit Evangelista quid Dominus dixit: hoc autem, inquit, *dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum*. Ad hoc ergo pertinet: *pasce*

oves meas: ut ponas animam tuam pro ovibus meis. Hæc de pastoribus bonis dixit.

De mercenariis autem jam dicemus. *Mercenarius, quando videt lupum insidiantem ovibus, fugit.* Hoc Dominus dixit: Quare? *Quia non est ei cura de ovibus.* Non hic bonam personam mercenarius gerit, et tamen in aliquo utilis est: nec mercenarius diceretur, nisi acciperet á conducente mercedem. Quis est ergo iste mercenarius, et culpabilis et necessarius? Hic vero, fratres, luceat nobis ipse Dominus, ut et mercenarios intelligamus, et mercenarii non simus. Quis est ergo iste mercenarius? Sunt in Ecclesia quidam præpósiti, de quibus Paulus apostolus dicit, *sua quærentes, non quæ Jesu Christi:* Quid est, sua quærentes? Non Christum gratis diligentes, non Deum propter Deum quærentes, temporalia commoda consectantes, lucra inhiantes, honores ab hominibus appetentes. Hæc quando amantur á præpósito, et propter hæc servitur Deo; quisquis est talis, mercenarius est, inter filios se non computet. De talibus enim et Dominus dicit: *amen dico vobis, perceperunt mercedem suam.*

Audite autem, quia et mercenarii necessarii sunt. Multi quippe in Ecclesia commoda terrena sectantes, Christum tamen prædicant, et per eos vox Christi auditur: sequuntur oves, non mercenarium, sed vocem pastoris per mercenarium. Audite mercenarios ab ipso Domino demonstratos. *Scribæ*, inquit, *et Pharisæi cathedram Moysis sedent; quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, nolite facere.* Quid aliud dixit, nisi per mercenarios vocem pastoris audite? Unde et Paulus apostolus ait: *dum omni modo sive occasione, sive veritate Christus annuntietur; et in hoc gaudeo, sed et gaudebo.* Veritas est Christus: veritas á mercenariis occasione anuntietur, veritas á filiis veritate anuntietur: filii æternam hereditatem Patris patientes expectant, merce-

narii temporalem mercedem conducentis festinantes exoptant: et tamen per linguas et mercenariorum et filiorum divina Christi gloria diffametur, *cum sive occasione, sive veritate Christus annuntietur.*

Ergo fratres, cum obedientia audite oves vos esse Christi; quia et nos cum timore audimus: *pasce oves meas.* Si nos cum timore pascimus, et timemus pro ovibus; ipsæ oves quomodo pro se debent timere? Pertineat ergo ad nos cura, ad vos obedientia; ad nos vigilantia pastoralis, ad vos humilitas gregis. Quamquam et nos qui vobis videmur loqui de superiore loco, cum timore sub pedibus vestris sumus, quoniam novimus quam periculosa ratio de ista quasi sublimi sede reddatur. Proinde, carissimi, catholica germina, membra Christi, cogitate quale caput habeatis. Filii Dei, cogitate qualem patrem inveneritis. Christiani, cogitate quæ vobis hereditas promittatur. Non talis qualis in terra possideri á filiis non potest, nisi cum mortui fuerint parentes eorum. Nullus enim in terra possidet hereditatem patris, nisi mortui. Nos vivo patre nostro possidebimus quod donabit, quia pater noster mori non poterit. Plus addo, plus dico, et verum dico ipse pater erit hereditas nostra.



DOMINICA 3.A POST PASCHA.

SERMO

Modicum, et jam non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me: quia vado ad Patrem.—*S. Joann. cap. 16.*

Promissum est nobis aliquid quod nondum habemus; et quia verax est qui promisit in spe gaudemus: quia tamen nondum habemus in desiderio gemimus. Propter hæc duo tempora, unum quod nunc est in tentationibus et tribulationibus hujus vitæ, alterum quod tunc erit in securitate et exultatione perpetua, instituta est nobis etiam celebratio duorum temporum, ante Pascha et post Pascha. Illud quod est ante Pascha significat tribulationem in qua modo sumus: quod vero nunc agimus post Pascha significat beatitudinem, in qua postea erimus. Ante Pascha ergo quod celebramus, hoc et agimus: post Pascha autem quod celebramus, significamus quod nondum tenemus. Propterea illud tempus in jejuniis et orationibus exercemus, hoc vero tempus relaxatis jejuniis in gaudio agimus.

Ideo illud tempus ante resurrectionem, hoc tempus post resurrectionem Domini est. Quo tempore sig-

nificatur vita futura, quam nondum tenemus: quia quod significamus post resurrectionem Domini tenebimus post resurrectionem nostram. Passio enim Domini ostendit nobis vitam præsentis necessitatis quo oportet laborare et tribulari, et ad extremum mori. Resurrectio vero et clarificatio Domini ostendit nobis vitam, quam accepturi sumus cum venerit retribuere digna dignis, mala malis, bona bonis. Et quidem modo mali omnes gaudere nobiscum possunt: si autem in malitia sua perseveraverint, gaudere nobiscum possunt; ipsam vero vitam, quæ tunc erit in ea veritate, quæ nunc significatur, obtinere non possunt, quia noluerunt meditari antequam veniret, et tenere quod venturum erat.

Modicum et jam non videbitis me, dicit Dominus discipulis suis in Evangelio, *et iterum modicum et videbitis me, quia vado ad Patrem*. Hæc Domini verba ita obscura erant discipulis, ut quærentes inter se quid esset quod diceret, ommino se faterentur nescire. Sequitur enim Evangelium: *dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem: quid est hoc quod dicit nobis: modicum et non videbitis me et iterum modicum et videbitis me, et quia vado ad Patrem? Dicebant ergo: quid est hoc quod dicit, modicum? Nescimus quid loquitur.* Hoc est enim quod eos movebat, quia dixit: *modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me*. Sed hoc quod illis tunc obscurum fuit, et mox manifestatum est, jam nobis utique manifestum est: post paululum enim passus est, et non viderunt eum; rursus post paululum resurrexit, et viderunt eum.

Illud autem quod ait: *jam non videbitis me*, quia in isto verbo, id est, *jam*, hoc intelligi voluit, quod eum ulterius non viderent, sic accipiendum est, quod scilicet mortalem Christum ulterius non viderent. Quid enim est;

jam non videbitis me, nisi quomodo sum, cum vobiscum sum? Tunc enim adhuc erat mortalis in similitudine carnis peccati, qui esurire poterat et sitire, fatigari atque dormire: hunc ergo Christum, id est, talem Christum, cum transisset de hoc mundo ad Patrem non erant jam visuri et hoc est quod dicit Apostolus: *etsi noveramus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus.* Ipsam quippe carnem Christi non secundum carnem novit, qui Verbum carnem factum spiritaliter novit. Qui vero nondum intelligit divinitatem Christi, usque ad carnem venit, usque ad divinitatem non venit. Quid enim magnum est usque illuc attingere, usque quo persecutores qui crucifixerunt? Illud est magnum, intelligere Verbum Deum apud Deum in principio: *per quod facta sunt omnia;* qualem se cognosci volebat, quando ait Philippo: *tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem.*

Cognobit autem Jesus, sicut sequens Evangelista dicit, *quia volebant eum interrogare, et dixit eis: de hoc quæritis inter vos, quia dixi: modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbtis me? Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos; mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra in gaudium erit.* Et hoc sic accipi potest, quia contristati sunt discipuli de morte Domini, et confestim de resurrectione lætati: mundus autem, quo nomine significati sunt inimici, á quibus Christus occisus est, tunc utique lætati sunt occiso Christo, quando sunt discipuli contristati. Mundi quippe nomine, malitia potest mundi hujus intelligi, id est, hominum mundi hujus amicorum. Unde Jacobus apostolus in Epistola sua dicit: *quicumque voluerit amicus esse hujus sæculi, inimicus Dei constituitur:* quibus inimicitiis Dei factum est, ut nec ejus Unigenito parceretur.

Deinde subjungit, et dicit: *mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus; cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum: et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis; iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet á vobis.* Nec ista similitudo ad intelligendum videtur esse dificilis; quoniam comparatio ejus in promptu est, eodem ipso exponente cur dicta sit. Parturitio quippe tristitiæ, partus autem gaudio comparatur, quod tunc majus esse consuevit, quando non puella, sed puer nascitur. Quod vero ait: *gaudium vestrum nemo tollet á vobis*, quia gaudium eorum est ipse Jesus, significatum est quod ait Apostolus: *Christus surgens á mortuis jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur.*

Audite ergo, fratres. Ecce dies isti sancti, qui post resurrectionem Domini celebrantur, significant futuram vitam post resurrectionem nostram. Sicut enim Quadragesima dies ante Pascha significaverunt laboriosam vitam in hac ærumna mortali; sic dies isti læti significant futuram vitam ubi erimus cum Domino regnaturi. Vita quæ significatur Quadragesima ante Pascha, modo habetur: vita quæ significatur quinquaginta diebus post resurrectionem Domini, non habetur, sed speratur, et sperando amatur. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Nomen quippe hic non sonaret ænigmatis, si esset facilitas visionis: ænigma est enim obscura parabola quæ laboriose intelligitur. Hunc totius laboris sui fructum, juxta comparationem Domini in Evangelio, Ecclesia nunc parturit desiderando, tunc est paritura cernendo; nunc parturit gemendo, tunc paritura lætando; nunc parturit orando, tunc paritura laudando. *Beati enim qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæcolorum laudabunt te.*

DOMINICA 4.ª POST PASCHA.

SERMO

Ipse arguet mundum de peccato... —*S. Joann. cap. 16.*

Medicina omnium animæ vulnerum, et una propitiatio pro delictis hominum est, credere in Christum: nec omnino quisquam mundari potest, sive ab originali peccato, quod ex Adam traxit, in quo omnes peccaverunt, et filii iræ naturaliter facti sunt, sive á peccatis quæ ipsi non resistendo carnali concupiscentiæ, sed eam sequendo, eique serviendo in flagitiis et facinoribus, addiderunt; nisi per fidem coadunentur et compaginentur corpori ejus, qui sine ulla illecebra carnali et mortifera delectatione conceptus est, nec eum in delictis mater in utero aluit, *et peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* In eum quippe credentes, filii Dei fiunt; quia ex Deo nascuntur per adoptionis gratiam, quæ est in fide Jesuchristi Domini nostri. Quapropter, carissimi, merito idem Dominus et Salvator noster hoc unum peccatum dicit, de quo arguit mundum Spiritus Sanctus, quia non credit in eum.

Quia ergo hæc est justitia fidei, credere quod non

vides, et ipso merito fidei ad visionem suo tempore pervenire, Dominus in Evangelio, cum promitteret Spiritum Sanctum, hoc ait: *ipse arguet mundum de peccato et de justitia et de judicio.* De quo peccato? de qua justitia? de quo judicio? Ipse sequitur et exponit, conjecturas hominum non admittit. *De peccato quidem*, inquit, *quia non crediderunt in me.* Quanta alia peccata Judæorum? Et tamen quasi hoc unum sit, ita dixit: *de peccato quidem*, *quia non crediderunt in me.* Hoc est illud peccatum, de quo alibi dicit: *si non venissem*, *peccatum non haberent.* Quid est hoc: *si non venissem*, *peccatum non haberent?* Ergo ad justos venisti, et eos peccatores fecisti? Sed exceptis aliis peccatis, quæ possent remitti per fidem, hoc unum peccatum nominavit, quod si non admitteretur, omnia relaxarentur. *De peccato quidem*, ait, *quia non crediderunt in me.* Et alibi *si non venissem, peccatum non haberent.*

Eo enim ipso quo Dominus venit, et Judæi non crediderunt in eum, inciderunt in peccatum: quod si non inciderent, omnia cætera peccata dimitti possent per indulgentiam gratiæ impetratam per fidem. Ergo *de peccato*, *quia non crediderunt in me. De justitia*, *quia ad Patrem vado*, *et jam non videbitis me.* Hæc est justitia, quia ad Patrem vadit, et jam non videbunt eum: hæc enim justitia ex fide est. *Justus enim ex fide vivit*: et tunc ex fide vivit, si non videat quod credit. Quia ergo ad justitiam pertinet ex fide vivere, et ex fide nemo vivit, nisi non videndo quod credit; ut ipsam justitiam faceret in hominibus, id est, ut crederent quod non viderent, *de justitia*, inquit, *quia ad Patrem vado*, *et jam non videbitis me.* Hæc, inquit, erit justitia vestra, ut credatis in eum quem non videtis, et fide mundati eum in quem credidistis, in die resurrectionis postea videatis.

Arguitur ergo mundus de peccato, in eis qui non credunt in Christum: et de justitia, in eis qui resurgunt in membris Christi: Unde dictum est: *ut nos simus justitia Dei in ipso.* Si enim non in ipso, nullo modo justitia. Si autem ipso, totus nobiscum vadit ad Patrem, et hæc inplebitur in nobis perfecta justitia. Propter hoc et de judicio mundus arguitur, *quia princeps hujus mundi jam judicatus est*, id est, diabolus princeps iniquorum, qui corde non habitant nisi in hoc mundo, quem diligunt, et ideo mundus vocantur: sicut *nostra conversatio in cœlis est*, *si surrexerimus cum Christo.* Ergo quemadmodum nobiscum, id est, cum corpore suo unus est Christus; sic cum omnibus impiis quibus caput est, cum quodam corpore suo unus est diabolus. Quapropter sicut nos non separamur á justitia, de qua Dominus dixit: *quia vado ad Patrem*; sic impii non separantur ab illo judicio, de quo dixit: quia *princeps hujus mundi jam judicatus est.*

De hoc ergo uno peccato voluit Dominus mundum argui, quod non crediderunt in eum: videlicet quia in eum credendo cuncta peccata solvuntur, hoc unum imputari voluit quo cætera colligantur. Et quia credendo nascuntur ex Deo, et filii Dei fiunt: *dedit enim* inquit, *illis potestatem filios Dei fieri, credentibus in eum.* Qui ergo credit in Filium Dei, in quamtum adhæret illi, et fit etiam ipse per adoptionem filius et hæres Dei, cohæres autem Christi, in tantum non peccat. Sed multum interest utrum quisque credat ipsum esse Christum, et utrum credat in Christum. Nam ipsum esse Christum et dæmones crediderunt, nec tamen in Christum dæmones crediderunt. Ille enim credit in Christum, qui et sperat in Christum et diligit Christum. Nam si fidem habet sine spe ac sine dilectione, Christum esse credit. Qui ergo in Christum credit, credendo in

Christum, venit in eum Christus, et quodam modo unitur in eum, et membrum in corpore ejus efficitur. Quod fieri non potest, nisi et spes accedat et caritas.

De hoc itaque judicio, quo princeps judicatus est mundi, arguitur á Spiritu Sancto mundus: quoniam cum suo principe judicatur, quem superbus atque impius imitatur. *Si enim Deus,* sicut dicit apostolus Petrus, *peccantibus angelis non pepercit, sed carceribus caliginis inferi retrudens tradidit in judicio puniendos servari:* quomodo non á Spiritu Sancto de hoc judicio mundus arguitur, quando in Spiritu Sancto hæc loquitur Apostolus? Credant itaque homines in Christum, ne arguantur de peccato infidelitatis suæ, quo peccata omnia detinentur: transeant in numerum fidelium, ne arguantur de justitia eorum, quos justificatos non imitantur: caveant futurum judicium, ne cum mundi principe judicentur, quem judicatum imitantur. Etenim ne sibi existimet parci superbia dura mortalium, de superborum supplicio terrenda est angelorum.



DOMINICA 5.ª POST PASCHA

SERMO

Si quid petiéritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.— *S. Joann. cap. 16 v. 23.*

Sanctum Evangelium cum legeretur audivimus quo modo vere debeat omnem intentam animam movere ad quærendum, non ad deficiendum. Qui enim non movetur, nec mutatur.

Sed est motus periculosus de quo scriptum est: *non veniat mihi pes superbiæ et manus peccatoris non moveat me.* Si enim venerit pes superbiæ, movet manus peccatoris. Motus autem alius est quærentis, pulsantis petentis. Quod enim hortante Domino quærimus, eodem ipso demonstrante inveniemus. *Petite*, inquit *et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur.* Quod modo lectum est in Evangelio omnes quidem audivimus, sed puto quia non omnes intelleximus. Commemorat quod mecum quæratis, mecum petatis, pro quo accipiendo mecum pulsetis. Adderit enim, sicut speramus, gratia Domini, ut cum volo vobis ministrare, et ego merear accipere.

Quid est, obsecro vos, quod Dominum dixisse audivimos discipulis suis *usque modo nihil petistis in nomine meo?* Nonne illis discipulis loquitur, quos cum misisset data potestate ad prædicandum Evangelium et magnalia facienda, reversi sunt gaudentes et dixerunt ei: *Domine ecce in nomine tuo et demonia nobis subjecta sunt?* Recognoscitis, recolitis quod de Evangelio commemoravi, in omni loco et omni sententia veridico, nusquam falso, nusquam fallente. Quomodo ergo verum est; *usque modo nihil petistis in nomine meo; et: Domine, ecce in nomine tuo et demonia nobis subjecta sunt?* Movet certe animum ad cognoscendum quæstionis hujus secretum. Ergo petamus, quæramus, pulsemus. Hoc in nobis faciat fidelis pietas, non carnis inquietudo, sed animi subjectio, ut ille nobis aperiat qui nos videt pulsantes.

Quid ergo det Dominus ministrandum vobis, intenti, hoc est, esurientes accipite: quod cum dixero, sine dubio potabitis sanis faucibus cordis quod de celario dominico vobis apponatur. Dominus Jesus sciebat unde posset anima humana, hoc est, mens rationalis ad imaginem Dei facta satiari, tamquam ipsa eo ipso satietur. Noverat hoc, et illam ea plenitudine adhuc carere sciebat. Noverat se apparere, noverat se latere. Sciebat quid in illo demonstraretur, quid absconderetur. Noverat hoc. *Quam multa*, inquit Psalmus, *multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te, perfecisti autem sperantibus in te!* Hanc quidam dulcedinem in hac peregrinatione gustantes, non ad satietatem sumentes, esurimus eam potius ac sitimus, ut ea postea saturemur *cum videbimus Deum sicuti est,* et implebitur quod scriptum est: *Saturabor cum manifestabitur gloria tua.* Ita perficit Christus multam multitudinem dulcedinis suæ sperantibus in eum. *Perfecisti sperantibus in te.*

Usquemodo, ait Dominus discipulis suis, *non petistis quidquam in nomine meo.* Et ut in nomine ejus non nihil, sed aliquid magnum petant, exhortatur dicens: *Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Id est: hoc in nomine meo petite, ut gaudium vestrum sit plenum, et accipietis. Hoc quod dicit gaudium plenum, profecto non carnale sed spirituale gaudium est; et quando tantum erit, ut aliquid ei jam non sit addendum, proculdubio tunc erit plenum. Quidquid ergo petitur quod pertineat ad hoc gaudium consequendum, hoc est in nomine Christi petendum, si divinam intelligimus gratiam, si vere beatam poscimus vitam. Isto enim bono in petendo perseverantes sanctos suos nequaquam misericordia divina fraudabit. Quidquid autem aliud petitur, nihil petitur: non quia nulla omnino res est, sed quia in tantæ rei comparatione quidquid aliud concupiscitur, nihil est. Neque enim prorsus nulla res est homo, de quo ait Apostolus: *Qui se putat aliquid esse cum nihil sit.* In comparatione quippe spiritalis hominis, qui scit gratia Dei se esse quod est, quisquis vana præsumit nihil est.

Merito ergo et quando redierunt discipuli, et dixerunt: *Domine, ecce dæmonia subjecta sunt nobis in nomine tuo:* (gaudebant de nihilo: quantum erat, quid erat ad illud quod Deus promitebat?) Dominus ergo; magister bonus, sedans timorem, ædificans firmitatem, ait illis: *Nolite in hoc gaudere, quia dæmonia vobis subjecta sunt.* Quare hoc? *Quia multi venient in nomine meo dicentes: Ecce in nomine tuo demonia ejècimus, et dicam eis: Non novi vos. Nolite in hoc gaudere; sed gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Adhuc ibi esse non potestis, et tamen jam ibi scripti estis. Gaudete ergo. Et illud: *Adhuc nihil petiistis in nomine meo.* Quod enim petiistis ad quod volo dare, nihil est. Quid enim petiistis in nomine

meo? Ut demonia vobis subjecta essent? In hoc gaudere nolite: hoc est, nihil est quod petiistis: si enim aliquid esset, gaudere juberet. Ergo non omnino nihil erat sed quia ad illam magnitudinem præmiorum Dei exiguum erat. Non enim vero Paulus apostolus non erat aliquid: et tamen in comparatione Dei, *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat.*

Videbat porro Dominus quod tentaret apostolos superbia ex potentia miraculorum; et ille qui medicus venerat sanare tumores nostros, et ferre infirmitates nostras, non eos voluit gaudere ex eo quod proprium habebant, sed ex eo quod cum cæteris tenebant. Inde voluit gaudere Apostolus, unde gaudes et tu. Intendat caritas vestra. Nullus fidelis habet spem, si nomen ejus non est scriptum in cælo. Omnium fidelium qui diligunt Christum, qui ambulant viam ejus humiliter, quam ipse docuit humilis, nomina scripta sunt in cœlo. Cujusvis contemptibilis in Ecclesia, qui credit in Christum, et diligit Christum, et amat pacem Christi, nomen scriptum est in cœlo: cujuslivet quem contemnis. Et quid simile illi ipsi et apostolis, qui tanta miracula fecerunt? Et tamem apostoli reprimuntur ex eo quod de bono proprio gaudebant, et jubentur hinc gaudere, unde gaudet et ille contemptibilis. Ergo et qui fecit miracula, et qui non fecit miracula in corpore Christi, non debet gaudere nisi de facie Dei. Qui aliud præmium petit á Deo, et propterea vult servire Deo, carius facit quod vult accipere, quam ipsum á quo vult accipere. Præmium Dei, ipse Deus est. Et quid vobis sufficit, si Deus ipse non vobis sufficit?

Ecce, frates, quod vobis dicimus, et nobis dicimus, et nobis et vobis dicimus, quando petimus in nomine Christi temporalia ista. Certe enim petiistis. Nam quis non petat? Alius sanitatem petit, si ægrotat; alius liberationem petit, si in carcere constitutus est, alius por-

tum rogat si in navi turbatur; alius victoriam rogat, si cum hoste confligit; et in nomine Christi totum rogat, et nihil est quod rogat. Quid ergo rogandum est? *Petite in nomine meo.* Et non dixit quid; sed in verbis ejus intelligimus quid petere debeamus. *Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Petite, et accipietis, in nomine meo.* Sed quid? Non nihil. Quid autem? *Ut gaudium vestrum sit plenum:* id est, hoc petite quod vobis suficiat. Nam quando temporalia petis, nihil petis. *Qui bibet de hac aqua, sitiet iterum.* Mitit in puteum hydriam cupiditatis, levat unde bibat, ut iterum sitiat. *Petite ut gaudium vestrum sit plenum*, id est, ut satiemini, non ut ad tempus delectemini. Petite quod vobis sufficiat: dicite vocem Philippi: *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.* Dicit nobis Dominus: *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem.* Ergo gratias agite Christo pro vobis infirmantibus laboranti, et fauces satiandas parate Christi divinitati.



DOMINICA INFRA OCT. ASCENSIONIS.

SERMO

Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis á Patre, Spiritum veritatis, qui á Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.—*S. Joann. cap. 15. v. 26.*

Dominus Jesus in sermone, quem locutus est discipulis suis post cœnam proximus passioni, tamquam iturus et relicturus eos præsentia corporali, cum omnibus autem suis usque in consummationem sæculi futurus præsentia spiritali, exhortatus est eos ad perferendas persecutiones impiorum, quos mundi nomine nuncupavit: ex quo tamen mundo etiam ipsos discipulos se elegisse dixit, ut scirent se Dei gratia esse quod sunt, suis autem vitiis fuisse quod fuerunt. Deinde persecutores et suos et ipsorum Judæos evidenter expressit, ut omnino appareret etiam ipsos mundi damnabilis appellatione conclusos, qui persequitur sanctos. Cumque de illis diceret, quod ignorarent eum á quo missus est, et tamen odissent et Filium et Patrem, hoc est, et eum qui missus est, et eum à quo missus est; ad hoc pervenit ubi ait: *Ut adimpleatur sermo qui*

in Lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis.

Deinde tamquam consequenter adjunxit Dominus quod modo ex Evangelio, cum recitaretur audivimus: *Cum autem,* inquit, *venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Hoc ut intelligamus, ita factum esse recolimus. Venit enim die Pentecostes Spiritus Sanctus in centum viginti homines congregatos in quibus et Apostoli omnes erant, qui illo adimpleti cum linguis omnium gentium loquerentur, plures ex his qui aderant, tanto miraculo stupefacti; (quandoquidem viderunt, loquente Petro, tam magnum atque divinum testimonium perhiberi de Christo, ut ille qui occissus ab eis inter mortuos deputabatur, resurrexisse et vivere probaretur,) compuncti corde conversi sunt; et tanti sanguinis tam impiè atque immaniter fusi indulgentiam perceperunt, ipso redempti sanguine quem fuderunt. Christi enim sanguis sic in remissionem peccatorum omnino fusus est, ut ipsum etiam peccatum posset delere quo fusus est.

Deinde etiam quid passuri essent discipuli, jam exprimens Dominus, ait: *Extra synagogas facient vos.* Quid autem mali erat Apostolis expelli de synagogis judaicis, quasi non inde fuerant se separaturi, etiamsi eos nullus expelleret? Sed nimirum hoc voluit denuntiare, quia Judæi Christum non fuerant recepturi, á quo isti non fuerant recessuri: et ideo futurum erat ut foras mitterentur cum illo, ab eis qui esse nollent cum illo, hi qui esse non possent sine illo. Cum enim non esset ullus alius populus Dei, quám illud semen Abrahæ, si Judæi agnovissent et recepissent Christum, tamquam rami naturales in olea permansissent; nec aliæ fierent Ecclesiæ Christi, aliæ synagogæ Judæorum: eædem

quippe essent, si in eodem esse voluissent. Quod quia noluerunt, quid restabat nisi ut remanentes extra Christum, extra synagogas facerent eos qui non relinquerent Christum? Accepto quippe Spiritu Sancto testes ejus effecti, non utique tales essent, de quibus dicitur: *multi principes Judæorum crediderunt in eum, sed propter metum Judæorum, ne pellerentur de synagogis, non audebant confiteri eum; dilexerunt enim gloriam hominum magis quam Dei.*

Crediderunt ergo in eum, sed non sic quomodo eos volebat credere qui dicebat: *Quomodo potestis credere, gloriam ab invicem expectantes, gloriam quæ à solo Deo est non quærentes?* Discipulis vero sic in eum credentibus, ut impleti Spiritu Sancto, hoc est dono gratiæ Dei, non sint de numero eorum, qui *ignorates Dei justitiam, et suam volentis constituere, justitiæ Dei non sunt subjec ti;* nec de illorum, de quibus dictum est; *dilexerunt gloriam hominum magis quam Dei;* illa congruit prophetia, quæ ipsis invenitur impleta: *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exultabunt tota die, et in tua justitia exaltabuntur, quoniam gloria virtutis eorum tu es.* Merito eis dicitur: *extra Synagogas facient vos*: illi scilicet, qui *zelum Dei habent, sed non secundum scientiam: propter quod ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere*, et eos expellunt qui non in sua, sed in Dei justitia exaltantur, nec expulsi ab hominibus erubescant, quoniam gloria virtutis eorum ipse est.

Tandem cum hoc eis dixisset, adjecit: *sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Hoc enim de Judæis dictum debemus accipere. Nam testes, id est, Martyres Christi, etiamsi occisi sunt à gentilibus; non tamen illi arbitrati sunt Deo, sed Diis suis falsis obsequium se præstare, cum hæc facerent. Judæorum autem omnis qui occidit

prædicatores Christi, Deo se præstare putavit obsequium; credens quod desererent Deum Israel quicumque converterentur ad Christum. Non tamen omnes, sed aliqui ex ramis fracti sunt, ut insereretur oleaster. Nam Spiritu Sancto implente discipulos Christi, cum linguis omnium gentium loquerentur, cum per eos divina miracula frequentarentur, et divina eloquia spargerentur, etiam occisus, ita dilectus est Christus, ut ejus discipuli expulsi á congregationibus Judæorum, ex ipsis quoque Judæis ingentem multitudinem congregarent.

Hinc ergo accensi cæteri reprobi et cæci Judæi, zelum Dei habentes, sed non secundum scientiam, et obsequium se præstare Deo credentes, occidebant discipulos Christi. Sed pro illis occisus colligebat eos, qui de his futuris, antequam occideretur, instruxerat eos, ne ignaros atque imparatos animos mala inopinata et improvisa. quamvis cito transitura, turbarent, sed præcognita et patientes accepta ad bona sempiterna perducerent. Hanc enim fuisse causam ut hæc eis prænuntiaret, etiam ipse demonstravit adjungens: *sed hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi vovis.* Hora eorum hora tenebrosa, hora nocturna. Sed *in die mandavit Dominus misericordiam suam,* et in nocte declaravit: quando nox Judæorum separatum à se diem Christianorum nulla confusione fuscavit; et quando carnem occidere potuit, fidem tenebrare non potuit.

Habeamus, fratres, zelum Dei, non zelum Judæorum. Hi enim gloriam ab invicem quærebant, gloriam ab invicem expectabant; et gloriam quæ à solo Deo est non quærebant. De his Apostolus Paulus ita dicit: *testimonium eis perhibeo, quia zelum Dei habent, sed non secundum scientiam. Zelum*, inquit, *Dei habent*: novi, scio, apud illos fui, talis fui. *Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam. Ignorantes enim Dei justitiam, et*

suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti: Ignorare ergo Dei justitiam, et suam velle constituere, hoc est, gloriam ab invicem expectare, et gloriam quæ à Deo est non requirere, hic est zelus Judæorum, à quo cavere debemus. Ab hoc cavere Dominus jubet. Si servus iubet, et Dominus jubet, caveamus, ne audiamus: ut quid mihi dicitis: Domine, Domine, et non facitis quæ dico?



DOMINICA PENTECOSTES.

SERMO

Factus est enim subito de cælo sonus, quasi ferretur flatus vehemens...

Adventum Spiritus Sancti anniversaria festivitate celebramus: Huic solemnis congregatio, solemnis lectio, solemnis sermo debetur. Illa duo persoluta sunt, quia et frequentissimi convenistis, et cum legeretur audistis. Reddamus et tertium: non desit obsequium linguæ nostræ ei, qui et linguas omnes indoctis donavit, et linguas doctorum in omnibus gentibus subjugabit, et diversas linguas gentium ad unitatem fidei congregavit. *Factus est*, enim, *subitò de cœlo sonus, quasi ferretur flatus vehemens, et visæ sunt illis linguæ divisæ, velut ignis, qui et insedit super unumquemque eorum, et cœperunt linguis loqui, quemadmodum Spiritus dabat eis pronuntiare.* Flatus enim ille non inflavit, sed vegetavit: ignis ille non cremavit, sed excitavit. Impletum est in eis quod fuerat tantò ante prophetatum: *non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum:* ut deinde ad prædicandum Evangelium distributi, quod sequitur facerent: *in omnem terram*

exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.

Hæc nimirum est illa hora, qua se promiserat Dominus non jam in proverbiis locuturum discipulis suis, sed palam de Patre eis annuntiaturum. *Venit*, inquit, *hora, cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre meo annuntiabo vobis. Paraclitus autem Spiritus Sanctus*, ait etiam Dominus in Evangelio, *quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et commemorabit vos omnia quæcumque dixero vobis.* Eadem quippe ipsius verba, revelante Spiritu Sancto, intelligentibus jam non erant proverbia. Neque enim loquente in eorum cordibus Spiritu Sancto, taciturus erat unigenitus Filius, qui dixit in ea hora palam se illis annuntiaturum esse de Patre, quod eis utique jam intelligentibus non esset proverbium. Sed hoc quoque ipsum, quomodo simul loquantur in suorum spiritalium cordibus et Dei Filius et Spiritus Sanctus, immo ipsa Trinitas quæ inseparabiliter operatur, intelligentibus est verbum, non intelligentibus autem proverbium.

Quid enim aliud Spiritus Sanctus prænuntiabat in linguis omnium gentium, quas donabat Apostolis, qui unam tantùm suæ gentis linguam didicerant, (quod indicium præsentiæ suæ tunc esse voluit) nisi omnes gentes Evangelio credituras, ut primo unusquisque fidelium, postea verò ipsa unitas Ecclesiæ linguis omnibus loqueretur? Quid ad hæc dicunt. qui christianæ societati, quæ in omnibus gentibus fructificat et crescit, nolunt incorporari atque conjungi? Numquidnam possunt negare, etiam nunc in christianos venire Spiritum Sanctum? Cur ergo nunc neque apud nos, neque apud illos quisquam loquitur linguis omnium gentium, (quod tunc erat adventûs ejus indicium,) nisi quia nunc impletur quod tunc significabatur? Tunc enim et unus fidelis linguis omnibus

loquebatur: et nunc unitas fidelium linguis omnibus loquitur. Itaque etiam nunc omnes linguæ nostræ sunt, quoniam membra sumus corporis in quo sunt.

Qui ergo habet Spiritum Sanctum, in Ecclesia est, quæ loquitur omnium linguis. Quicumque præter hanc Ecclesiam est, non habet Spiritum Sanctum. Ideo enim Spiritus Sanctus in omnium linguis gentium se demonstrare dignatus est, ut ille se intelligat habere Spiritum Sanctum, qui in unitate Ecclesiæ continetur, quæ linguis omnibus loquitur. Unum corpus, Paulus dicit apostolus, *unum corpus et unus spiritus*. Membra nostra attendite. Multis membris constitutum est corpus, et vegetat membra omnia unus spiritus. Ecce humano spiritu, quo sum ego ipse homo, membra omnia colligo: impero membris ut moveantur, intendo oculos ad videndum, aures ad audiendum, linguam ad loquendum, manus ad operandum, pedes ad ambulandum. Officia membrorum dispartita sunt, sed unus spiritus continet omnia. Multa jubentur, multa fiunt: unus jubet, uni servitur. Quod est spiritus noster, id est, anima nostra, ad membra nostra, hoc est Spiritus Sanctus ad membra Christi, ad corpus Christi, quod est Ecclesia.

Ideo Apostolus, cum corpus unum nominasset, ne intelligeremus mortuum corpus: unum, inquit, corpus. Sed rogo te: vivit hoc corpus? Vivit. Unde? De uno spiritu. Attendite ergo, fratres, in nostro corpore, et dolete eos, qui de Ecclesia præciduntur. In membris nostris, quamdiu vivimus, cum sani sumus, implent omnia membra officia sua. Si unum membrum dolet aliquando, compatiuntur omnia membra. Tamen quia in corpore est, dolere potest, expirare non potest. Quid est enim expirare, nisi spiritum amittere? Jam vero si membrum præcidatur de corpore, numquid sequitur spiritus? Et tamen membrum agnoscitur quid est; digitus est, manus est, brachium est, auris est: præter cor-

pus habet formam, sed non habet vitam. Sic et homo ab Ecclesia separatus. Quæris ab illo sacramentum, invenis: quæris baptismum, invenis: quæris symbolum, invenis. Forma est: nisi intus spiritu vegeteris, frustra foris de forma gloriaris.

Hunc itaque diem, dilectissimi, sic celebremus tamquam membra unitatis corporis Christi: Non enim frustra celebramus, si hoc sumus quod celebramus, illi Ecclesiæ cohærentes, quam Dominus implens Spiritu Sancto toto mundo crescentem cognoscit suam, et agnoscitur á sua tamquam sponsus á sponsa. Nobis enim in omnibus gentibus constitutis, hoc est, Ecclesiæ Christi, membris Christi, corpori Christi, sponsæ Christi; Apostolus dicit: *sufferentes invicem in dilectione studentes servari unitatem spiritus in vinculo pacis*. Videamus quia ubi præcepit ut sustineamus invicem, ibi posuit dilectionem: ubi spiritum nominavit unitatis, ibi ostendit vinculum pacis. Hæc est domus Dei de vivis lapidibus fabricata in qua talem patremfamilias delectat habitare, cujus oculos ruina divisionis non debet offendere. Si ergo volumus vivere de Spiritu Sancto, teneamus caritatem, amemus veritatem, desideremus unitatem, ut perveniamus ad æternitatem. Amén.



DOMINICA 1.ª POST PENTECOSTEM.

SERMO

Dimittite, et dimittemini. Date, et dabitur vobis.—*S Luc. cap. 6. v. 37.*

Misericordia gemina est in Ecclesia, una in eo titulo, quo nemo impendit pecuniam, nemo etiam vel laborem; altera quæ de nobis exigit aut officium operis, aut impendia pecuniæ. Hæc duo genera eleemosynarum Dominus magister bonus, qui verbum breviavit super terram, ut esset fructuosum et non honerosum, quam breviter fuerit complxeus audite: *remittite*, inquit, *et remittetur vobis; date et dabitur vobis.* Remittite et remitetur vobis, pertinet ad ignoscendum. Date et dabitur vobis pertinet ad erogandum. Dimittite, et dimittetur vobis: misericordia est ignoscentis. Date et dabitur vobis: misericordia est erogantis. In eo quod dimittis, ut dimittatur tibi misereris: in eo quod das, ut detur tibi commodas.

Ex illa eleemosyna, qua ignoscis homini, nihil perdis. Ecce statim veniam petit; ignovisti nihil amisisti: Caritate amplior domum reddisti: Ad hanc eleemosynam impendendam thesaurus tuus in corde tuo est; ibi te explicas coram Deo. Non tibi dicitur: profer saculum,

aperi arcam, resigna horreum: neque hoc tibi dicitur: veni, ambula, curre, festina, intercede, loquere, visita, labora. Stans uno loco projecisti de pectore tuo quod tenes contra fratrem tuum: fecisti misericordiam nullo sumptu, nullo labore, sola bonitate, sola misericordiæ cogitatione. Dic mihi: cum ignoscis de corde, quid per dis? Cum ignoscis ei qui peccat in te, quid minus habebis in corde tuo? Inde enim dimittis, sed nihil amittis.

Illud aliud genus eleemosynarum, ubi juvemur erogare indigentibus, grave videbitur; quia quod quisque dederit, hoc ipsum quod dabit non habebit. Equidem et hinc securos nos facit Apostolus qui dixit: *prout quisque habet non ut aliis sit refectio, vobis angustia.* Metiatur ergo unnusquisque vires suas, non thesaurizare attendat in terra: det, non perit quod dat. Non dico: hoc non perit; sed dico: hoc solum non perit. Alia vero quæ non dederis, et abundant tibi; aut cum vivis amittis, aut cum moreris dimittis. Nulla enim re fruitur anima cum libertate, nisi quæ fruitur cum securitate. Nemo autem securus est in his bonis, quæ potest invitus amittere. Credis te habere in domo quod scis te possuise: numquid scis te non perdidisse? Quam multi redierunt ad domos suas, et quod posuerant, non invenerunt!

Dimittite, inquit, *et dimittetur vobis*; hoc est, ignoscite et ignoscetur vobis. Conservus conservo reconcilietur, ne juste servus á Domino puniatur. Et quoniam de remissione agitur peccatorum, ne multum ad vos putetis imitari Christum, Apostolum audite dicentem: *donantes vobismetipsis, sicut et Deus in Christo donavit vobis.* Estote ergo imitatores Dei. Certe superbum est imitari Deum? Audi Apostolum: *Estote imitatores Dei, sicut filii carissimi.* Filius diceris: si respuis imitationem, quare quæris hereditatem? Hoc dicerem si nihil peccati haberes, quod tibi relaxari desiderares. Modo autem quisquis es, homo es, justus sis

licet, homo es; laicus sis, homo es; monachus sis, homo es; clericus sis, homo es; episcopus sis, homo es; apostolus sis, homo es. Vocem apostoli audi: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* Ille Johannes Evangelista, quem Dominus Christus præ cæteris diligebat, qui supra pectus ejus discumbebat ipse ait, *si dixerimus;* non dixit, si dixeritis quia peccatum non habetis: sed, *si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est.* Junxit se in culpa; ut jungeretur et in venia. *Si dixerimus:* videte quis dicat: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est et justus, qui dimittat nobis peccata et mundet nos ab omni iniquitate.* Quomodo mundat? Ignoscendo, non quasi inveniens quod puniat, sed inveniens quod dimittat. Ergo si habemus peccata, fratres, ignoscamus petentibus. Non inimicitias in corde nostro contra alterum retineamus. Plus enim inimicitiæ retentæ vitiant ipsum cor nostrum.

Volo ergo te ignoscentem, quia teneo veniam postulantem. Rogaris, ignosce; rogaris, et rogabis; rogaris, ignosce; tu rogabis ut ignoscatur tibi: Ecce veni et tempus orandi: in verbis quæ dicturus es, teneo te. Dicturus es, Pater noster qui es in cœlis. Non enim eris in numero filiorum, si non dicturus es, Pater noster. Ergo dicturus es, *Pater noster qui est in cœlis.* Sequere: *Sanctificetur nomen tuum.* Dic adhuc: *Adveniat regnum tuum.* Adhuc sequere: *fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra.* Vide quid adjungas: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Ubi sunt divitiæ tuæ? Ecce mendicas. Interim tamen unde agitur dic adhuc post, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Dic adhuc quod sequitur:

Dimitte nobis debita nostra. Venisti ad verba mea: *Dimitte,* inquit, *nobis debita nostra.* Quo jure? quo pacto? quo placito? quo chirographo recitato? *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Parum est quod non dimittis; adhuc et Deo mentiris. Conditio posita est, fixa est lex: Dimitte sicut dimitto: Ergo non dimittit, nisi dimittas. Dimitte sicut dimitto. Petenti vis ut dimitatur tibi, petenti dimitte. Preces istas Jurisperitus cœli dictavit: non te fallit, secumdum cœlestem ejus vocem posce, dic, *Dimitte nobis, sicut et nos dimittimus*: et fac quod dicis. Qui mentitur in precibus, beneficio caret: qui mentitur in precibus, et perdit causam et invenit pænam. Et si aliquis, mentitur imperatori, cum venerit, convincitur quia mentitur: quando autem, tu orando mentiris in ipsa oratione convinceris. Non enim Deus ut te convincat testes ad te quærit. Qui tibi dictavit preces, advocatus est tuus: si mentiris, testis est: si non te corrigis, judex erit tuus. Ergo et dic et fac. Quia si non dicis, contra jus petendo non impetras: si autem dicis et non facis etiam mendacii reus eris. Non est qua versus iste transeatur, nisi quod dicimus impleatur. Numquid delere istum versum poterimus de oratione nostra? An vultis ut illud ibi sit, *Dimitte nobis debita nostra*: et deleamus quod sequitur, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris?* Non delebis, ne ante dealearis. In oratione ergo dicis, Da; dicis, Dimitte: ut accipias quod non habes; et relaxetur tibi quod deliquisti. Ergo vis accipere, da, vis ut dimittatur tibi, dimitte.

Date et dabitur vobis. Quid verius, quid justius, ut qui dare detrectat, se fraudet ipse, nec accipiat? Si imprudenter agricola quærit messem, ubi se novit non premisisse semen, quanto imprudentius quærit Deum divitem, qui hominem pauperem noluit exaudire poscentem? In paupere enim se pasci voluit qui non esu-

rit. Deum ergo nostrum egentem non spernamus in paupere ut egentes satiemur in divite. Cum sit Dominus, et verus Dominus, et bonorum nostrorum non egeat; tamen ut aliquid etiam erga illum faceremus; esurisse dignatus est in pauperibus suis. *Esurivi,* inquit, *et dedistis mihi manducare.* Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Egere voluit propter nos, ut haberemus ubi seminaremus terrena, quæ dedit et meteremus vitam eternam. Audiant ergo homines, digneque considerent, quantum sit meritum Christum pavisse esurientem, et quale sit crimen Christum contempsisse esurientem.

Quando Dominus dicit: *date et dabitur vobis,* attendite cui dicat. Homini dicit Deus, mortali dicit inmortalis, mendico dicit tantus pater-familias. Neque enim revocaturus est quod dedimus. Demus in usuram sed Deo, non homini. Habemus egentes, et egemus, demus ergo, ut accipiamus. Verumtamen quid est quod damus? Et pro isto exiguo, visibili, temporali atque terreno, quid est quod accipere desideramus? *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Nisi ipse promitteret, imprudentiæ esset accipere velle illa, et nolle dare nec ista, quæ tamen ista nec ipsa haberemus, nisi dante illo, qui exhortatur ut demus. Qua igitur fronte in utrisque speramus damtem, si in minimis contemnimus imperantem?

Illud etiam moneo Sanctitatem Vestram, ut sciatis eum duplam misericordiam facere, qui pauperibus sic dat aliquid ut ipse eroget. Non enim debet esset sola benignitas largientis, sed et humilitas ministrantis. Nescio quomodo. Fratres mei, animus ejus qui porrigit pauperi, velut communi humanitati atque infirmitati compatitur, quando ponitur manus habentis in manum indigentis. Quamvis ille det ille accipiat, conjunguntur nimister et cui ministratur. Non enim jungit nos calamitas, sed

humilitas. Abundantia vestra erit vobis, si Domino placet, et filiis vestris. Sed de ista terrena abundantia nulla mentio est, quam videtis obnoxiam tantis casibus. Jacet in domo thesaurus quietus, Dominum quietum esse non sinit. Timetur latro, timetur effractor, timetur servus infidelis, timetur vicinus malus et potens. Quanto plus tenetur tanto plus timetur. Si autem erogas Deo in pauperes, non perdis, et securus efficeris, quia ipse Deus custodit tibi in cœlo, qui et tibi necessaria dat super terram. An forte times, ne perdat Christus quod illi commendaveris?

Misericordiam fratres mei, misericordiam operamini, quia abundant peccata. Alia requies, alia via non est qua perveniamus ad Deum, qua reintegremur qua reconciliemur ei, quem periculosissime offendimus. Venturi sumus in conspectum ejus: loquantur ibi nobis opera nostra; et ita loquantur ut superent offenssiones nostras. Quod enim amplius fuerit, hoc obtinebit, vel ad pœnam, si peccata meruerint; vel ad requiem, si opera bona. Ne pigri ad hæc simus. Gloriam quærit qui desiderat vindicari se; sed attende quod scriptum est: *melior est qui vincit iram, quam qui capit civitatem.* Divitias quærit qui non vult dare pauperibus: attende quod scriptum est: *habebis thesaurum in cœlo.* Non ergo eris inglorius ignoscendo, quia de ira victa laudabilius triumphatur: non egemus tribuendo, quia thesaurus cœlestis certius possidetur.



DOMINICA 2.ᴬ POST PENTECOSTEM.

SERMO

Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos.—*S. Luc. 14. v. 16.*

Lectio sancta proposita est, et quam audiamus, et de qua aliquid sermonis, adjuvante Domino, proferamus. In Evangelio ad cœnam vocati sumus: immo alii vocati, nos non vocati, sed ducti: non solùm ducti, sed etiam coacti. Sic enim audivimus, quia *homo quidam fecit cœnam magnam.* Quis est iste homo, nisi mediator Dei et hominum homo Christus Jesus? Misit ut venirent invitati, quia hora jam venerat, ut venirent. Qui sunt invitati, nisi per præmisos vocati Prophetas? Quando? Olim ex quo mittuntur Prophetæ invitant ad cœnam Christi. Mittuntur ergo ad populum Israel. Sæpe missi sunt, sæpe vocaverunt, ut ad horam cœnæ venirent. Illi autem invitantes acceperunt, cœnam repudiaverunt? Quid est invitantes acceperunt, cœnam repudiaverunt? Prophetas legerunt, et Christum occiderunt. Sed quando occiderunt, tunc nobis cœnam nescientes præparaverunt. Paratâ jam cœnâ, immolato Christo, post resurrectionem Christi commendatâ quam sciunt fideles, cœnâ Domini,

ejusque manibus et ore firmatâ, missi sunt Apostoli, ad quos missi fuerant antè Prophetæ. Venite ad cœnam.

Excusaverunt qui venire noluerunt. Et excusaverunt, quomodo? Tres fuerunt excusationes: Unus dixit, *villam emi, eo videre illam: habe me excusatum.* Allius dixit, *juga boum emi quinque, et eo probare illa: rogo te habe me excusatem.* Tertius dixit, *uxorem duxi, habe me excusatum: venire non possum.* Putamus non istæ sunt excusationes, quæ impediunt omnes homines, qui ad istam cœnam venire detrectant? Quæramus eas, discutiamus, inveniamus: sed ut caveamus. In villa empta, dominatio notatur: ergo superbia castigatur. Habere enim villam, tenere, possidere, homines sibi in illâ subdere, dominari delectat. Vitium malum, vitium primum. Primus enim homo dominari voluit, qui dominum habere noluit. Quid est dominari, nisi propria potestate gaudere? Est major potestas, illi subdamur, ut tuti esse valeamus, *Villam emi, habe me excusatum.* Inventa superbia, venire noluit.

Alius dixit, *quinque juga boum emi.* Nonne sufficeret, boves emi? Aliquid proculdubio est, quod nos ad quærendum et intelligendum obscuritate sua provocat: et quia clausum est, ut pulsemus, hortatur. Quinque juga boum, sensus carnis hujus. Quinque numerantur sensus carnis hujus, quod omnibus notum est; et qui fortè non advertunt; commoniti sine dubio recognoscunt. Sensus ergo carnis hujus, quinque inveniuntur. In oculis visus est, auditus in auribus, odoratus in naribus, gustatus in faucibus, tactus in omnibus membris. Alba et nigra et quoquomodo colorata, lucida et obscura videndo sentimus. Rauca et canora, audiendo sentimus. Suave olentia et grave olentia, odorando sentimus. Dulcia et amara, gustando sentimus. Dura et mollia, lenia et aspera, calida et frigida, gravia et levia, tangendo sentimus. Quinque sunt, et juga sunt. Sed quia juga sunt, in tribus prioribus sensi-

bus faciliùs apparet. Duo sunt oculi, duæ aures, geminæ nares: ecce tria juga. In faucibus, id est, sensu gustandi geminatio quædam invenitur, quia nihil gustando sapit, nisi lingua et palato tangatur. Voluptas carnis quæ ad tactum pertinet, occultiùs geminatur. Est enim et forinsecus, et intrinsecus. Ergo et ipsa gemina est. Quare boum dicuntur juga? Quia per sensus istos carnis terrena requiruntur. Boves enim terram versant. Sunt autem homines remoti á fide, terrenis dediti, carnalibus occupati: nolunt credere aliquid, nisi ad quod sui corporis sensu quinque partito perveniunt. In eis quinque sensibus totius voluntatis sibi regulas ponunt. Non, inquit, credo ego, nisi quod video. Ecce quod novi, ecce quo scio. Album est, nigrum est, rotumdum est, quadratum est, sic vel sic coloratum est: novi, sentio, teneo: natura ipsa docet me. Non cogor credere, quod mihi non potes ostendere. Vox est, sentio quia vox est; benè cantat, malè cantat, suavis est, rauca est; novi, scio, pervenit ad me. Benè olet, malè olet: scio, sentio. Hoc dulce est, hoc amarum; hoc salsum, hoc fatuum. Quid mihi plus dicas nescio. Tangendo novi quid durum est, quid molle sit; quid lene sit, quid asperum sit, quid caleat, quid frigeat. Quid mihi plus demonstraturus es?

Tali impedimento tenebatur apostolus noster Thomas, qui de Domino Christo, id est, de Christi resurrectione nec solis oculis credere voluit. *Nisi missero*, inquit, *digitos meos in clavorum et vulnerum loca, et nisi manum meam in latus ejus missero, non credam.* Et Dominus qui posset sine ullo vestigio vulneris resurgere, servavit cicatrices, quæ á dubitante tangerentur, et cordis vulnera sanarentur. Et tamen vocaturus ad cœnam contra excusationem quinque jugorum boum, *beati*, inquit, *qui non vident, et credunt.* Nos, fratres mei, ad cœnam vocati, ab istis quinque jugis non sumus impediti. Non enim faciem carnis Domini videre in

hoc tempore concupivimus, aut vocem ex ore carnis illius procedentem auribus admittere desideravimus: nullum in illo temporalem odorem quæsivimus. Perfudit eum quædam mulier pretiosissimo unguento, domus illa odore impleta est: sed nos ibi non fuimus; ecce non olfecimus, et credimus. Cœnam manibus suis consecratam discipulis dedit: sed nos in illo convivio non discubuimus; et tamen ipsam cœnam fide quotidie manducamus. Nec magnum putetis in illa cœna, quam suis manibus dedit, sine fide interfuisse: melior extitit fides postea, quám tunc perfidia. Non ibi fuit Paulus qui credidit: ibi fuit Judas qui tradidit. Quám multi et modó in ipsa cœna, quamvis illam tunc mensam non viderint, nec panem quem Dominus gestavit in manibus, oculis suis aspexerint, vel paucibus gustaverint, tamen quia ipsa est quæ nunc præparatur, quám multi etiam nunc in ipsa cœna *judicium sibi manducant et bibunt!*

Unde autem tamquam occasio nata est Domino, ut de ista cœna loqueretur? dixerat unus de discumbentibus: (in convivio enim erat, quó fuerat invitatus:) *Beati qui manducant panem in regno Dei.* Quasi in longinqua iste suspirabat, et ipse panis ante illum discumbebat. Quis est panis de regno Dei, nisi qui dicit, *ego sum panis vivus, qui de cœlo discendi?* Noli parare fauces, sed cor. Inde commendata est ista cœna, ecce credimus in Christum, cum fide accipimus. In accipiendo novimus quid cogitemus. Modicum accipimus, et in corde saginamur. Non ergo quod videtur, sed quod creditur, pascit. Non ergo etiam sensum illum externum quæsivimus; nec diximus, crediderunt quia Dominum ipsum resurgentem, si verum est quod dicitur, viderunt oculis, manibus palpaverunt: nos non tangimus, quare credimus? Si talia cogitaremus, quinque illis jugis boum á cœna impediremur. Ut noveritis, fratres, istorum quinque sensuum, non delectationem, quæ per-

mulcet et ingerit voluptatem, sed curiositatem quandam notata fuisse, non ait, *quinque juga boum emi, eo pascere illa:* sed, *eo probare illa.* Qui vult probare per juga boum, non vult dubitare, quomodo sanctus Thomas per juga noluit dubitare. Videam, tangam, digitos mittam. *Ecce*, inquit. *digitos tuos mitte per latus meum, et noli esse incredulus.* Occisus sum propter te: per locum quem vis tangere, sanguinem fudi, ut redimerem te, et adhuc dubitas de me, nisi tetigeris me? Ecce et hoc præsto, ecce et hoc exhibeo: tange, et crede; inveni locum vulneris, sana vulnus dubitationis.

Tertius dixit, *uxorem duxi.* Ista voluptas est carnis, quæ multos impedit: utinam foris, et non intus. Sunt homines qui dicunt, non est homini benè, nisi cui adsunt carnis deliciæ. Ipsi sunt quos notat Apostolus, dicentes, *manducemus et bibamus, cras enim moriemur.* Quis huc inde surrexit? Quis nobis, quod ibi agitur, dixit? Hoc nobiscum tollimus, quod in hoc tempore benè est nobis. Qui hoc dicit, uxorem duxit, carnem amplexatur, carnis voluptatibus jucundatur, á cœna excusatur: observet ne fame interiore moriatur. Attendite Johannem, sanctum Apostolum et Evangelistam: *Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt. Non dixit, nolite habere; sed, nolite diligere.* Habuisti, possedisti, dilexisti. Amor rerum terrenarum, vicum est spiritalium pœnarum. Ecce concupisti, hæsisti. *Quis dabit tibi pennas sicut columbæ?* Quando volabis, ubi verè requiescas? quando hîc, ubi malè hæsisti, perversè requiescere voluisti? *Nolite diligere mundum, tuba divina est.* Continuò hujus tubæ verbis orbi terrarum et universo dicitur mundo, *nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt. Quisquis dilexerit mundum, non est caritas patris in illo. Quoniam omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis sunt, et concupiscentia oculorum, et ambitio sœculi. Ab immo cœpit, quo-*

Evangelium terminavit. Inde ille cœpit, ubi Evangelium terminum posuit. Concupiscentia carnis, uxorem duxi. Concupiscentia oculorum, quinque juga boum emi. Ambitio sœculi, villam emi.

Ideo autem à parte totum per solos oculos commemorati sunt isti sensus, quia oculorum est in quinque sensibus principatus. Propterea cum propriè ad oculos pertineat visus, ipsum videre per omnes quinque sensus solemus appellare. Quomodo? Primò quod ad ipsos oculos pertinet, dicis: Vide quám candidum est, intende et vide quám candidum est: hoc ad oculos pertinet. Audi et vide quám canorum est. Numquid conversím potes dicere, audi et vide quàm candidum est? Hoc quod dicitur, vide, per omnes sensus currit: ceterorum autem sensuum proprietas non per se recurrit. Intende et vide quám canorum est: odora et vide quám suave est: gusta et vide quám dulce est: tange et vide quám molle est. Utique quoniam sensus sunt, sic potiús diceremus: Audi et senti quám canorum est: odora et senti quám suave est: gusta et senti quám dulce est: tange et senti quám calidum est: palpa et senti quâm lene est: palpa et senti quám molle est. Nihil horum. Nam et ipse Dominus post resurrectionem cum apparuit discipulis suis, cumque cernentes adhuc titubarent in fide, putantes se spiritum videre, quid, inquit, dubitatis, et *quare cogitationes ascendunt in cor vestrum? Videte manus meas et pedes meos.* Et parum est, videte: *tangite*, inquit, *et palpate, et videte.* Intendite et videte, palpate et videte: in solis oculis videte, in omnibus sensibus videte. Quia interiorem fidei sensum quærebat, exterioribus corporis sensibus adjacebat. Nos nihil ab ìstis exterioribus sensibus in Domino carpsimus, auditu audivimus, corde credidimus: et ipsum auditum non ab illius ore, sed ab ore prædicatorum ejus, ab ore illorum qui jam cœnabant, et nos ructuando invitabant.

Tollamus ergo de medio excusationes vanas et malas, et veniamus ad cœnam, qua intrinsecùs saginemur. Non nos impediat extollentia superbiæ, non nos extollat, vel non nos terreat curiositas illicita et avertat á Deo: non nos impediat voluptas carnis á voluptate cordis. Veniamus, et saginemur. Et qui venerunt, nisi mendici, debiles, claudi, cæci? Illic autem non venerunt divites sani, quasi benè ambulantes, et acutè cernentes; multum de se præsumentes, et ideo desperatiores, quanto superbiores. Veniant mendici, quia ille invitat *qui propter nos pauper factus est, cum dives esset, ut illius paupertate mendici ditaremur.* Veniant debiles: quia *non est opus sanis medicus, sed malè habentibus.* Veniant claudi qui ei dicant. *Compone gressus meos in semitis tuis.* Veniant cæci qui dicant, *illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte.* Tales venerunt ad horam; illis prius invitatis, sua excusatione reprobatis: venerunt ad horam, intraverunt de plateis et vicis civitatis: et respondit servus, qui missus erat, *Domine, factum est ut jussisti, et adhuc locus est. Exi,* inquit, *in vias, et sepes, et quos inveneris, ut dignentur, noli expectare; coge intrare.* Magnam cœnam, magnam domum paravi, non ibi patior locum vacare. Venerunt de plateis et vicis gentes: veniant de sepibus hæritici, hic inveniunt pacem. Nam qui construunt sepes, divisiones quærunt. Trahantur á sepibus, evellantur ab spinis. In sepibus hæserunt, cogi nolunt. Voluntate, inquiunt, nostra intremus. Non hoc Dominus imperavit: *cogi,* inquit, *intrare.* Foris inveniatur necessitas, nascitur intus voluntas.



DOMINICA 3.ᴬ POST PENTECOSTEM.

SERMO

Erant appropinquantes ad Jesum publicani, et peccatores, ut audirent illum. *S. Luc. 15.*

Quod lectum est modo de sancto Evangelio, hoc et Paulus Apostolus dicit, cujus verba ista sunt: *fidelis sermo et omni acceptione dignus, quia Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere.* Nulla caussa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, et nulla caussa est medicinæ. Si venit de cœlo magnus medicus, magnus per totum orbem terræ jacebat ægrotus. Ipse ægrotus genus humanum est. Perierat homo, venit Deus homo, et inventus est homo. Perierat homo per liberam voluntatem: venit Deus homo per gratiam liberatricem. Quæris quid valeat ad malum liberum arbitrium? Recole hominem peccantem. Quæris quid valeat ad auxilium Deus et homo? Attende in eo gratiam liberantem. Nusquam potuit sic ostendi, quantum valeat voluntas hominis usurpata per superbiam, ad vitandum sine adjutorio Dei malum; non potuit plus et manifestius exprimi quám in homine primo. Et ecce periit primus

homo, et ubi esset, nisi venisset secundus homo? Prorsus nusquam sic apparet benignitas gratiæ et liberalitas omnipotentiæ Dei, quomodo in homine mediatore Dei et hominum, homine Christo Jesu.

Quid enim dicimus, fratres mei? In fide catholica nutritis loquor. Novimus et tenemus mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Jesum, in quantum homo erat, ejus esse naturæ, cujus et nos sumus. Non enim alterius naturæ caro nostra et caro illius, nec alterius naturæ anima nostra et anima illius. Hanc suscepit naturam, quam salvandam esse judicavit. Nihil minus habebat in natura, sed nihil habebat in culpa. Natura pura, sed non sola humana. Ibi erat Deus, ibi erat Verbum Dei. Et sicut unus homo, anima est et caro; sic et ille unus Christus, Deus et homo. Verbum Dei unicus Dei Filius assumpsit animam et carnem hominis, non antea se promerentis, nec ad illam percipiendam sublimitatem virtute propria laborantis, sed omnino gratis. Istam gratiam commendat Apostolus Christianis, ubi dicit: *Unus enim Deus, et unus mediator Dei et hominum.* Non ait: Christus Jesus; ne tu putares secumdum Verbum dictum; sed addidit, homo: *Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* Quid est mediator? Per quem conjungeremur, per quem reconciliaremur; quia peccatis propriis separati jacebamus, in morte eramus, prorsus perieramus. Non erat Christus homo, quando creatus est homo: ne periret homo, ille factus est homo. Sed non omnium est fides. Novit Dominus qui sunt ejus. Loquente Domino nostro Jesu Christo apud Judeos, et tanta miraculorum signa faciente, quidam crediderunt prædestinati in vitan æternam, quos etiam vocavit oves suas: quidam vero non crediderunt, nec poterant credere eó quod occulto, nec tamen injusto judicio Dei fuerant excæcati et indurati; deserente illo, qui *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Superbiebant Judæi, extollebant se, alta sapiebant, justos se putabant, et Dominum colligentem peccatores insuper accusabant. Venit ergo, ut ipse alio loco dicit, *venit Filius hominis, quærere et salvare quod perierat.* Totum enim perierat: ex quo peccavit unus, ubi erat totum, periit totum. Sed venit unus sine peccato, qui salvos faceret á peccato. Isti autem superbiendo, quod est pejus, et ægrotabant et sanos se esse credebant. Superbia fallax infirmorum est ægritudo, quæ ubi mentem possederit, erigendo deficit, inflando evacuat, distendendo dissipat. Ovem perditam omnes peccatores dixit, qui per penitentiam reconciliantur Deo. Quam humeris suis portat, quia humiliando se tales erexit. Ideo autem illas nonaginta novem dixit quas reliquit in deserto: quia superbos significant, tamquam solitudinem gerentes in animo, dum solos se videri volunt. Cum enim quisque á vera unitate divellitur: superbiæ divellitur: suæ quippe potestatis esse cupiens, non sequitur unum, quod Deus est. Oves credendo sunt, oves pastorem sequendo sunt, oves redemptorem non contemnendo sunt, oves per ostium intrando sunt, oves vita æterna perfruendo sunt. Cum enim justificatur impius, ex impio fit justus; et ex possessione diaboli migrat in templum Dei. Ideoque et in nonaginta novem ovibus et in novem drachmis ponit eorum significationem, qui de se præsumentes peccatoribus ad salutem redeuntibus se præponunt.

Pastores homines, vel etiam patresfamilias domini pecorum, oves quas habent non ipsi fecerunt: oves quas pascunt, non ipsi creaverunt: noster autem Dominus Deus, quia Deus et Creator est, fecit sibi oves quas habeat, et quas pascat: nec alter instituit, quas ipse pascit; nec quas ipse instituit, alter pascit. Deducit eas tamquam dux, et in se ducit tamquam via, et ad se perducit tamquam patria. Ille est verus Dominus, qui nihil à nobis quærit, et væ nobis, si eum non quæramus.

Nihil á nobis quærit; et quæsivit nos, cum eum non quæreremus. Ovis una erraverat; invenit eam, gaudens in humeris suis reportavit. Et numquid ovis erat pastori necessaria, et non ovi potius pastor necessarius erat? Gratias illi qui me quæsivit fugitivum, qui me vocando ab interitu revocavit.

Perdiderat enim drachmam mulier illa, accendit lucernam. Sapientia Dei perdiderat drachmam. Quid est drachma? Nummus, in quo nummo imago erat ipsius Imperatoris nostri. Factus est enim homo ad imaginem Dei, et perierat. Et quid fecit mulier illa sapiens? Accendit lucernam. Lucerna de luto est; sed lucem habet qua inveniatur drachma. Lucerna ergo sapientiæ, caro Christi, de luto facta est; sed verbo suo lucet, invenit perditos. Nonne quæsivit eos? nonne descendit? nonne *verbum caro factum est, et habitavit in nobis?* nonne accendit lucernam carnis suæ, dum penderet in cruce, et quæsivit perditam drachmam? Quæsivit, et invenit vicinis congratulantibus, id est, omni cratura spiritali, quæ Deum proxime attingit. Vicinis lætantibus inventa est drachma, Angelis lætantibus inventa est anima humana.

Agnosce, homo, quid fueris, ubi fueris, sub quo fueris. Ovis errans eras, in invio et inaquoso, spinis et tribulis pascebaris: sub mercenario posita, veniente lupo, secura non eras. Nunc autem requisita á vero Pastore, humeris ejus pietate subvecta, reducta est ad ovile, id est, ad domum Dei, videlicet Eclesiam, ubi pastor tuus Christus, et oves commanent congregatæ. Quanta felicitas est, esse gregem Dei, si quis cogitet, etiam in istis lacrymis et in istis tribulationibus magnum gaudium concipit. Neque enim in ejus grege est, quem lupi possunt flagellare aut cujus somnum possunt cap tare prædones. Illi enim dictum est: *qui pascis Israel*, de quo dictum est; *non dormiet, neque dormi-*

tavit qui custodit Israel. Vigilat ergo ille super nos vigilantibus nobis, vigilat et dormientibus nobis. Si ergo de pastore homine securum est pecus hominis; quanta debet esse nostra securitas pascente Deo, non tantum quia pascit nos, sed etiam quia fecit nos?



DOMINICA 4.ᴬ POST PENTECOSTEM.

SERMO

Implevérunt ambas naviculas, ita ut pené mergerentur.—*S. Luc. 5. v. 7.*

Multis et variis modis, et altitudinem divinitatis suæ, et misericordiam humanitatis, in Scripturis sanctis Dominus noster Jesus Christus, ostendit, quemadmodum solet, in mysteriis et sacramentis, ut petentes accipiant, et quærentes inveniant, et pulsantibus aperiatur. Hoc enim etiam quod lectum est hodie de sancto Evangelio, quærit intellectorem, et facit gaudium spiritale, cum fuerit intellectum. Dominus Jesus colligens Ecclesiam suam de toto orbe terrarum, noluit priùs eligere senatores, sed piscatores. Magna artificis misericordia. Sciebat enim quia si priùs eligeret senatorem, diceret senator: dignitas mea electa est. Si priùs eligeret divitem, diceret dives: opulentia mea electa est. Si priùs eligeret imperatorem, diceret imperator: potestas mea electa est. Si priùs eligeret oratorem, diceret orator: eloquentia mea electa est. Si priùs eligeret philosophum, diceret philosophus: sapientia mea electa est. Quæcumque enim dignitates fuissent priùs electæ, sibi hoc auderent tribuere, non Dei gratiæ.

Hoc consilium secretum Dei, hoc consilium Salvatoris nostri exponit Apostolus, ubi dicit: *Videte enim vocationem vestram, fratres,* Apostoli verba sunt, *quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt, ut quæ sunt evacuentur, ut non glorietur omnis caro coram illo.* Hoc et Propheta dixit: *Omnis vallis implebitur, omnis mons et collis humiliabitur, æqualitas campi constituetur.* Porrò hodie ad gratiam Domini pariter accedunt nobiles et ignobiles, doctus et imperitus, pauper et dives. Ad istam gratiam accipiendam non se præponit superbia humilitati, nihil scienti, nihil habenti. Sed si illi piscatores non præcessissent, nos quis cœpisset? Ecce Dominus non de oratore piscatorem, sed de piscatore lucratus est oratorem: et modò magnus est quilibet orator, si potuerit benè exponere de quo scripsit piscator.

Cum ergo piscatores piscium elegisset Dominus Jesus Christus, et fecisset piscatores hominum, in ipsa etiam piscatione eorum aliquid nos voluit admonere de vocatione populorum. Invenit enim discipulos suos piscantes, quando primum eos vocabit, ut sequerentur eum. Tota nocte nihil cœperunt. Eo autem viso, audierunt ab illo: *mittite retia. Domine,* inquiunt, *per totam noctem nihil cœpimus, sed ecce in verbo tuo rete mittimus.* Misserunt jubente Omnipotente. Quid potuit aliud fieri, nisi quod ille voluisset? Sed tamen eodem ipso facto aliquid nobis, ut dixi, significare dignatus est. Missa sunt retia, cœperunt tantum piscium, ut duo navigia implerentur, et ipsa retia eadem piscium multitudine scinderentur. Tunc eis dixit: *venite post me, et faciant vos piscatores hominum.* Acceperunt ab illo retia verbi Dei, misserunt in mundum tamquam in mare

profundum: cœperunt quantam multitudinem Christianorum cernimus et admiramus.

Numquid non videmus, fratres, verbum Dei retia esse, et hoc seculum mare, et omnes qui credunt, intra illa retia includi? Si forté quis dubitat hoc significare, attendat ipsum Dominum in parabola hoc dixisse quod in miraculo ostendit. Ait enim: *simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, quæ congregat ex omni genere piscium. Quam, cum impleta esset, educentes, traxerunt illam ad littus, et juxta littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras misserunt.* Apparet ergo signum habere fidei, retia missa in mare. An non es mare hoc seculum, ubi se invicem homines quasi pisces devorant? An parvæ procellæ et fluctus tentationis perturbant hoc mare? An parva pericula sunt navigantium, hoc est in ligno crucis patriam cœlestem quærentium? Manifestissima ergo similitudo est.

In hoc seculum fluctibus turbulentum, et tempestatibus periculosum, et naufragiis molestum, missum est verbum Dei, et cœpit multos, ita ut implerentur duo navigia. Quæ sunt duo navigia? Populi duo. Duo illa navigia duos populos significant, Judæorum et Gentium, Synagogæ et Ecclesiæ, circumcisionis et præputii. Illorum enim navigiorum, tamquam duorum parietum de diverso venientium, lapis angularis factus est Dominus, ut eos in se conjungeret ex diverso venientes. Venit enim populus Judæorum ex alia longè consuetudine: venit autem populus Gentium ab idolis. Venit ex circumcisione populus Judæorum: venit ex præputio populus Gentium. Ex diverso venerunt: sed in lapide angulari junguntur. In Christo ergo concordaverunt duo populi, vocati ex Judæis qui erant propè, et ex Gentibus qui erant longè.

Sed quid audivimus? Ibi premebantur navigia præ multitudine piscium. Sic fit modò: multi christiani qui malè vivunt Ecclesiam premunt. Multitudine impletur

Ecclesia: sed multitudo ista aliquando premit, et propé ad naufragium conatur adducere. Malé viventium multitudo benè viventes ita perturbat, ut qui bené vivit, stultum se putet, quando attendit alios malé vivere: maxime quia secundum bona hujus seculi inveniuntur multi felices nocentes, et inveniuntur multi infelices innocentes. Et quám metuendum est ne naufragio prematur atque mergatur? Quám metuendum est, carissimi, ne dicat qui bené vivit: quid mihi prodest quia benè vivo? Ecce enim ille malé vivit, et honoratior est me. Mihi quid prodest quia bené vivo? Periclitatur: timeo ne mergatur.

Sed parum est quia premunt: et retia disrumpunt. Nam si non essent retia scissa, schismata non essent commissa. Rupta retia significant schismata. Videmus, sic est, sic fit. Multi enim ruperunt retia, et schismata fecerunt, et foras exierunt. Quia malos pisces intra retia captos tollerare se nolle dixerunt, ipsi mali facti sunt potiús, quám illi quos se non potuisse tollerare dixerunt. Implentur navigia duo, propter populos duos de circumcisione et præputio: et sic implentur, ut premantur et penè mergantur. Hoc quod significat, gemendum est. Turba turbavit Ecclesiam. Quam magnum numerum fecerunt malé viventes, prementes et pené mergentes! Sed propter pisces bonos non sunt mersa navigia. Namque illa retia cœperunt pisces et bonos et malos.

O vos qui me fideliter auditis, inter malos estote boni, et eritis sine malis boni. Retia nolite disrumpere. Qui multum sibi placuerunt, et quasi malos sustinere noluerunt, retia ruperunt, in mari perierunt. Vivite inter malos benè; non vobis suadeant mali christiani malé vivere. Ne adulteretis, ne fornicemini, ne fraudem faciatis, ne furemini, ne falsum testimonium dicatis, ne falsum juretis, ne inebriemini, ne commendatum negetis, ne inventum alicujus in vico non reddatis. Hæc et talia

facite, securi inter malos pisces. Intra eadem retia natatis; sed venietis ad littus, post resurrectionem in dexteram inveniemini. Ibi nullus est malus. Quid enim quia legem nostis, quia Dei mandata cognoscitis, quia scitis quid sit bonum et malum, quid vobis prodest si non faciatis? Nonne ipsa scientia punitur conscientia? Sic discite ut faciatis.



DOMINICA 5.ª POST PENTECOSTEM.

SERMO

Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.—*S. Mat. 5. v. 22.*

Sancti Evangelii capitulum, quod modo cum legeretur audivimus, valde nos terruit, si fidem habemus: eos autem non terruit, qui fidem non habent. Et quia non terret eos, volunt esse perverse securi, nescientes distribuere et distinguere tempora timoris et securitatis. Timeat ergo qui ducit modo vitam cum fine, quo possit in illa vita habere securitatem sine fine. Ergo timeamus. Quis enim non timeat loquentem Veritatem et dicentem: *omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui autem dixerit fratri suo raca, reus erit concilio; qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis?* Humanum est irasci: et utinam nec hoc possemus. Humanum est irasci; sed non debet iracundia, natus surculus brevis, suspicionibus irrigari, et ad trabem odii pervenire. Aliud est enim ira, aliud odium. Nam sæpe itiam pater irascitur filio, sed non odit filium: irascitur ut corrigat. Si propterea irascitur, ut corrigat, amando irascitur. Propterea dictum est: *Festucam in oculo fratris tui vides; trabem autem in oculo tuo non vides.* Culpas in alio iram, et tenes odium

in te ipso. In comparatione odii, ira festuca est. Sed festucam si metrias, trabes erit. Si evellas et projicias, nihil erit.

Quid interest inter reum judicio, et reum concilio, et reum gehennæ ignis? Nam hoc postremum gravissimum sonat, et admonet quosdam gradus factos á levioribus ad graviora, donec ad gehennam ignis veniretur. Et ideo si levius est reum esse judicio, quam reum esse concilio: item si levius est reum esse concilio, quam esse reum gehennæ ignis; oportet levius esse intelligatur irasci sine causa fratri, quam dicere: raca; et rursus levius esse dicere: raca, quam dicere: fatue. Non enim reatus ipse haberet gradus, nisi gradatim etiam peccata commemorarentur. Gradus itaque sunt in istis peccatis, ut primo quisque irascatur, et eum motum retineat corde conceptum: jam si extorserit vocem indignantis ipsa commotio, non significantem aliquid, sed illum animi motum ipsa eruptione testantem, qua feriatur ille cui irascitur; plus est utique quam si surgens ira silentio premeretur: si vero non solum vox indignantis audiatur, sed etiam verbum quo jam certam ejus vituperationem in quem profertur, designet et notet, quis dubitet amplius hoc esse quam si solus indignationis sonus ederetur?

Vide nunc etiam tres reatus, judicii, concilii, gehennæ ignis. Nam in judicio adhuc defensioni datur locus: in concilio autem, quamquam et judicium esse soleat, tamen quia interesse aliquid hoc loco fateri cogit ipsa distinctio, videtur ad concilium pertinere sententiæ prolatio; quando non jam cum ipso reo agitur, utrum damnandus sit; sed inter se qui judicant conferunt quo suplicio damnari oporteat quem constat esse damnandum: gehenna vero ignis nec damnationem habet dubiam, sicut judicium; nec damnati pœnam, sicut concilium; in gehenna quippe ignis certa est et damnatio et pœna damnati: Videntur ergo aliqui gradus in peccatis et in reatu sed

quibus modis invisibiliter exhibeantur meritis animarum quis potest dicere? Omnipotens est Deus, nec in misericordia amittit judicium, nec in judicio misericordiam. Non enim sic est Deus misericors, ut injustus sit; nec sic justus, ut misericors non sit. Homines autem quando judicant, aliquando victi misericordia, faciunt contra justitiam; et videtur in eis esse misericordia, et non esse judicium: aliquando vero rigidum volentes tenere judicium, perdunt misericordiam. Sed Deus nec in bonitate misericordiæ perdit judicii severitatem, nec in judicando cum severitate amittit misericordiæ bonitatem.

Metuendum autem est, ne ira tanta sit, ut in odium vertatur. Ira nondum est odium: nondum odimus eos quibus irascimur; sed ista ira si manserit, et non cito evulsa fuerit, crescit et fit odium. Ideo ut recens ira evellatur, et in odium non convertatur, hoc nos docet Scriptura dicens: *non occidat sol super iracundiam vestram.* Quia etsi ex ipsa humana conditione et infirmitate mortalitatis, quam portamus, surrepit ira christiano, non debet diu teneri et fieri pridiana. Ejice illam de corde antequam occidat lux ista visibilis, ne te deserat lux illa invisibilis. Cum cœperit iste sol in homine habitare per fidem, non tantum in te valeat iracundia qua in te nascitur, ut occidat super iracundiam tuam, id est, deserat Christus mentem tuam, quia non vult habitare Christus cum iracundia tua. Videtur enim quasi ipse á te occidere, cum tu ab ipso occidas; quia ira cum inveterascit, odium fit; cum factum fuerit odium, jam homicida es. *Omnis enim qui odit fratrem suum, homicida est,* sicut dicit Joannes Apostolus. Item ipse dicit, *quia omnis qui odit fratrem suum, in tenebris manet.* Et non mirum si ille in tenebris manet, á quo occidit sol.

Ait etiam Dominus in Evangelio: *Si obtuleris munus tuum ad altare, et illic recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi*

munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo: et tunc veniens offer munus tuum. Non enim irascitur Deus, quia differs imponere munus tuum; te quærit Deus magis quam munus tuum. Nam si malum animum gerens adversus fratrem tuum, adveneris cum munere ad Deum tuum, respondebit tibi: tu peristi, mihi quid attulisti? Offerens munus tuum, et tu non es munus Dei. Plus quærit Christus quem redemit sanguine suo, quam quod tu invenisti in horreo tuo. Ergo *relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et sic veniens offeres munus tuum.* Ecce ille reatus gehennæ quam cito solutus est. Nondum reconciliatus, eras gehennæ reus: reconciliatus, securus offers munus tuum. Jubemur itaque illaturi munus in altare, si recordati fuerimus aliquid adversum nos habere fratrem, munus ante altare relinquere, et pergere ac reconciliari fratri, deinde venire et munus offerre.

Altare etiam spiritaliter in interiori Dei templo ipsam fidem accipere possumus, cujus signum ut altare visibile. Propterea cum aliquid oblaturi sumus in corde nostro, id est, in interiori Dei templo, acceptum esse non potest Deo, nisi fidei sinceritate fulciatur. Si ergo in mentem venerit quod aliquid habeat adversum nos frater, id est, si nos eum in aliquo læsimus: tunc enim ipse habet adversum nos: nam nos adversus illum habemus si ille nos læsit; ubi non opus est pergere ad reconciliationem; non enim veniam postulabis ab eo qui tibi fecit injuriam, sed tantum dimittes, sicut tibi dimitti á Domino cupis quod ipse commiseris. Pergendum est ergo ad reconciliationem, cum in mentem venerit quod nos forte fratrem in aliquo læsimus: pergendum autem non pedibus corporis, sed motibus animi, ut te humili affectu prosternas fratri, ad quem cara cogitatione cucurreris, in conspectu ejus cui munus oblaturus es. Ita enim etiam si præsens sit, poteris eum non simulato ani-

mo lenire, atque in gratiam revocare veniam postulando, si hoc prius coram Deo feceris, pergens ad eum non pigro motu corporis, sed celerrimo dilectionis affectu: atque inde veniens, id est, intentionem revocans ad id quod agere cœperas offeres munus tuum.

Ecce dixi vobis quod agere debeatis, ut cum fratribus vestris concordetis. Gaudeam et ego de pace vestra, qui contristor litibus vestris: ut omnes donantes vobismetipsis, si quis habet adversus aliquem querelam, securi accedamus ad Dominum Jesum Christum, qui in neminem peccabit, et prope in illum omnis mundus peccavit; nec exigit suplicia, sed promisit præmia. Faciamus quod jubet Pater, qui erit Deus judex: et petamus veniam à fratribus, quos forte peccando in eos aliquid offendimus, aliquid læsimus. Non expectemus vindicari: Quid est vindicari, nisi malo alieno pasci? Scio quotidie venire homines genua figere, frontem terræ concutere aliquando vultum suum lacrymis regare; et in ista tanta humilitate ac perturbatione dicere: Domine vindica me, occide inimicum meum. Plane ora, ut occidat inimicum, et salvet fratrem tuum: occidat inimicitias, salvet naturam. Sic ora, ut vindicet te Deus: pereat qui te persequebatur, sed maneat qui tibi reddatur.



DOMINICA 6.ª POST PENTECOSTEM.

SERMO

Misereor super turbam: quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent.— *S. Marc. cap. 8. v. 2.*

Et in annuntiando et in audiendo verbo veritatis labor est. Quem laborem, fratres, æquo animo toleramus, si sententiæ dominicæ et conditionis nostræ meminerimus. Ab ipso enim nostri generis exordio audivit homo, non ab homine fallace, nec á diabolo seductore, sed ab ipsa veritate ex ore Dei: *in sudore vultus tui edes panem tuum.* Dederat enim ei Deus panem præcepti. Nam panis animæ quid nisi verbum Dei? Suggerente serpente, prævaricante muliere tetigit vetitum, oblitus est præceptum. Merito percussum est sicut fænum, et aruit cor ejus, quoniam oblitus est manducare panem suum. Oblitus manducare panem, bibit venenum: percussum est cor ejus et aruit sicut fænum. Si ergo panis noster est verbum Dei, sudemus in audiendo, ne moriamur in jejunando. Sicut enim morbus ut esse desinat, fit plerumque per medicamentum, sic et fames sanatur quodam modo per alimentum. Scripturas sanctas exponentes vobis, quasi panes frangimus vobis. Vos esurientes accipite: et

qui estis divites in epulis, nolite macri esse in operibus et factis bonis. Quod ergo erogo vobis, non est meum. Quod manducatis, manduco: unde vivitis, vivo. Commune habemus in cœlo cellarium: inde enim venit verbum Dei.

Intendat ergo Sanctitas vestra, quia hoc nobis propositum est quod cum vestra Caritate tractemus, quid sibi velit hujus rei tantum mysterium, quod eo modo se Deum discipulis demonstrasse sancta testatur Scriptura, quomodo Evangelium narrat. Ait enim: *cum multa turba esset cum Jesu, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis ait illis: misereor turbæ huic; quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent: et si dimisero eos jejunos in domum suam deficient in via: quidam enim ex eis de longè venerunt. Et responderunt ei discipuli sui: Unde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine? Et interrogavit eos? Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem. Et præcepit turbæ discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, et dabat discipulis suis ut apponerent, et apposuerunt turbæ. Et habebant pisciculos paucos et ipsos benedixit, et jussit apponi. Et manducaverunt, et saturati sunt, et sustulerunt quod superaverat de fragmentis, septem sportas. Erant autem qui manducaverant, quasi quator millia; et dimisit eos.*

Dominus noster Jesus Christus qui in forma servi agere vitam dignatus est humanam sed nullum habens omnino peccatum adhibuit affectiones humanas ubi adhibendas esse judicavit. Neque enim in quo verum erat hominis corpus et verus hominis animus, falsus erat humanus affectus. Cum ergo ejus in Evangelio illud refertur quod misertus est turbæ esurienti; non falso utique refertur. Facilius ille iram quam misericordiam continebit. Hos autem humanæ infirmitatis affectus, sicut ipsam carnem infirmitatis humanæ, hac mortem carnis humanæ Dominus Jesus non conditionis necessitate, sed misera-

tionis voluntate suscepit, ut transfiguraret in se corpus suum, quod est Ecclesia, cui caput esse dignatus est, membra sua in sanctis et fidelibus suis: ut si cui eorum inter humanas tentationes contristari et dolere contingerit, non ideo se ab ejus gratia putaret alienum, et non esse ista peccata, sed humanæ infirmitatis indicia, tamquam voci præmissæ concinnes chorus, ita corpus ejus ex ipso capite addisceret. Sed tamen paupertas Christi, divitiæ nostræ sunt; quomodo infirmitas ipsius, fortitudo nostra est; quomodo stultum ipsius, sapientia nostra est; quomodo mortalitas ipsius, immortalitas nostra est.

Tanta enim multitudo escæ, quæ saturaret tot millia hominum, unde processit? Fontes panis erant in manibus Domini. Non est mirum. Nam ipse facit de septem panibus multum panis, unde saturaret tot millia, qui facit quotidie in terra de paucis granis messes ingentes. Non enim septem panes habebant quator millium hominum saturitatem, aut saltem septem sportas plenas, sed omnipotentia Domini quasi fons panis erat. Quis enim et nunc pascit universum mundum, nisi ille qui de paucis granis segetes creat? In Christo distinguenda est forma servi: non separanda et alienanda, et in aliam personam constituenda. Accepit in se Creator creaturam, non mutatus est Creator in creaturam: assumpsit quod non erat, non amisit quod erat. Quod Verbum caro factum est, non Verbum in carnem pereundo cessit; sed caro ad Verbum, ne ipsa periret, accesit: ut quemadmodum homo est anima et caro, sic esset Christus Deus et homo. Idem Deus qui homo, et qui Deus idem homo: non confusione naturæ sed unitate personæ. Filii divinitati est addita humanitas; et tamen non est personarum facta quaternitas, sed permanet trinitas.

Septem panes significant septiformem operationem Spiritus Sancti, quator millia hominum Ecclesiam sub

quator Evangeliis constitutam: septem sportæ fragmentorum perfectionem Ecclesiæ. Hoc enim numero sæpisseme perfectio designatur. Unde est enim quod dictum est: *septies in die laudabo te?* Nunquid errat homo qui toties laudaverit Dominum? Quid est ergo: *septies laudabo* nisi numquam á laude cessabo? Totum enim tempus significat qui dicit septies. Unde septem diebus volvitur tempus, et finito septenario, rursus ad caput redditur, ut eadem forma volvatur. Per hujusmodi formæ revolutiones secula transeunt á septenario tamen numero non receditur. Quid est ergo: *septies in die laudabo te*, nisi quod alio loco dicitur: *semper laus ejus in ore meo?* Solet esse quippe iste numerus universitatis indicium: propter quod sex diebus divinæ operationis, septimus adjectus est quietis: et per septem dies currentes et recurrentes tempora universa volvuntur.

Saginata sunt quator millia hominum de septem panibus; quid mirabilius? Et tamen parum erat nisi etiam sportæ septem de fragmentis residuis implerentur. O magna mysteria! operabantur, et opera loquebantur. Facta illa, si intelligas, verba sunt. Et vos ad quator millia pertinetis, quia sub Evangelio quaternario vivitis. Ad numerum non pertinuerunt pueri et mulieres. Quasi sine numero essent insensati et effeminati. Tamen manducent et ipsi. Manducent: forte pueri crescunt, et non sunt pueri: forte effeminati corriguntur et castificantur. Manducent: erogamus, impendimus. Non enim fragmenta illa perierunt: sed quia et vos ad Ecclesiam pertinetis, vobis utique profecerunt. Quod vobis ista expono, Christo ministro: vos cum tranquille auditis, discumbitis. Ego corpore sedeo, corde consisto, et sollicitus ministro vobis: ne forte aliquem vestrûm offendat vasculum, non cibus. Epulas Dei nostis, sæpe audistis, mentes quærunt, non ventres.

Certe auditis verbum Dei. Benedictus Dominus et

gloria ipsius. Congregati enim estis, et suspendimini in verbo dispensatoris Dei. Vos estis auditores, nos prædicatores. Intus autem ubi nemo videt, omnes auditores sumus. Omnes ergo et foris et intus factores esse debemus. Panis est enim verbum Dei. Quando audis, aut quando legis, manducas; quando inde cogitas, ruminas, ut sis animal mundum, non immundum. Qui enim glutit, ut non in illo appareat quod voravit, oblitus est quod audivit. Qui autem non est oblitus, cogitat, et cogitando ruminat, et ruminando delectatur. Unde admonemus Caritatem vestram ut ea qua audiendo tamquam ventre memoria conditis, rursus revolvendo et cogitando quodam modo ruminetis. Quando enim delectat bonum, magnum est Dei donum Hæc est illa suavitas, quam Dominus dat, ut terra nostra det fructum suum; ut bonum verè benè, id est, non mali carnalis formidine, sed boni spiritalis delectatione faciamus.



DOMINICA 7.ª POST PENTECOSTEM.

SERMO

Attendite á falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapáces.—*S. Math. 7. v. 15.*

Hæc maximè regula disciplinæ necessaria est viro christiano, ut verbum Dei audiat, cum est in hoc seculo, ut attendat eum, qui venit seculum salvare primò per misericordiam, et postea discutere per judicium. Et ideo Dominus noster Jesus Christus imitandum se nobis præbuit, ut quoniam christiani sumus aut ipsum imitemur, aut alios qui eum imitati sunt. Sunt enim quidam, eorum qui christiani vocantur et non sunt, quos partim digessit Ecclesia tamquam stercora, ut sunt omnes hæreses, quæ etiam comparantur sarmentis infructuosis de vite præcissis, et paleis quas ante ventilationem de area ventus rapit. Sunt autem alii, qui intus mali sunt, quos necesse est toleraret christianus bonus usque in finem, quia ventilatio messis hujus areæ non erit nisi dies judicii. Hæc semper cantavimus vobis, et in nomine Christi arbitramur quia hærent pectoribus vestris. Istæ lectiones quæ vobis leguntur; numquid modo primum vobis leguntur, et non eædem quotidie repetuntur? Sicut autem lectiones

Dei quotidie opus est ut repetantur, ne seculi mala et spinæ nascantur in cordibus vestris, et effocent semen, quod ibi seminatum est; sic oportet et sermonem Dei vobis semper repeti, ne obliti dicatis vos non audisse, quod dicimus nos dixisse.

Hic ergo illi qui promittunt sapientiam, cognitionemque veritatis quam non habent, præcipue cavendi sunt; sicut sunt hæretici, qui se plerumque paucitate commendant. Et ideo cum dixisset Dominus, paucos esse qui inveniunt angustam portam et arctam viam, ne se illi supponant nomine paucitatis, statim subjecit: *cavete à pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Omnes hæretici, qui relicta veritatis via, errando per desertum latrocinantur, et animas captant in peccatis, prepediuntque ne quis ad patriam valeat pervenire, effecti sunt lupi semitarii induti ovina pelle, cum sint intùs lupi rapaces, prædicantes Christum viam, et qui eos sequuntur ducentes ad mortem. Nam ex eisdem Scripturis in animas, non caritate inflammandas, sed venenis perimendas, insiliunt, quod non contigit nisi pro meritis: propterea divinæ providentiæ etiam ista dispositio tribuenda est, non quia ipsa peccatores facit, sed quia ipsa ordinat cum peccaverint. Malo enim voto per peccatum legentes, malè coguntur inteligere, ut ipsa sit pœna peccati: quorum tamen mortem filii catholicæ Ecclesiæ, tamquam quibusdam spinis, á somno scitantur, et ad inteligentiam divinarum Scripturarum proficiunt. *Oportet enim et hæreses esse, ut probati*, ait Apostolus, *manifesti fiant inter vos:* hoc est inter homines, cum manifesti sint Deo.

Sed isti non falunt oculum simplicem, qui arborem dignoscere ex fructibus novit. Ait enim Dominus: *à fructibus eorum cognoscetis eos.* Quandiu ergo quisque malus est, non potest facere fructus bonos: si enim bonos fructus fecerit, jam malus non erit. Sic verissime dici

potuit: non potest esse nix cálida: cum enim cálida esse cœperit, non jam eam nivem, sed aquam vocamus. Potest ergo fieri, ut qua nix fuit, non sit: non autem potest fieri ut nix cálida sit. Sic potest fieri, ut qui malus fuit, non sit malus; non tamen fieri potest ut malus benè faciat. Qui etiamsi aliquando utilis est, non hoc ipse facit, sed fit de illo divina providentia procurante, sicut de Fharisæis dictum est: *quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt facere nolite.* Hoc ipsum quod bona dicebant, et ea quæ dicebant, utiliter audiebantur et fiebant, non erat illorum: *super cathedram* enim, inquit, *Moysi sedent.* Per divinam ergo providentiam legem Dei prædicantes, possent esse audientibus utiles, cum sibi non essent. De talibus alio loco per Prophetam dictum est: *Seminastis triticum, et spinas metetis:* quia bona præcipiunt, et mala faciunt. Non ergo qui eos audiebant, et faciebant quæ ab eis dicebantur, de spinis legebant uvas: tamquam si manus aliquis per sepem mittat, aut certe de vite, quo sepi fuerit involuta, uvam legat, non spinarum est fructus iste, sed vitis.

Rectissime sane quæritur quos fructus nos attendere voluerit, quibus cognoscere arborem possimus. Multi enim quædam in fructibus deputant, quæ ad vestitum ovium pertinent, et hoc modo á lupis decipiuntur: sicut sunt vel jejunia, vel orationes, vel eleemosynæ; quæ omnia, nisi fiere etiam ab hypocritis possent, non diceret: *Cavete justitiam vestram facere coram hominibus, ut videamini ab eis.* Ista enim cum bono animo in veritate fiunt, propriæ sunt ovium vestes; cum autem malo in errore, non alios quam lupos contegunt. Sed non ideo debent oves odisse vestimentum suum, quia plerumque illo se occultant lupi. Qui sunt fructus, quibus inventis cognoscamus arborem malam, dicit Apostolus: *manifesta autem sunt opera carnis quæ sunt fornicationes, immunditiæ, contentiones,*

æmulationes, animositates, disensiones, hæreses, sectæ, invidiæ, ebrietates, comessationes, et his similia, quæ prædico vobis; sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non possidebunt. Agunt hæc qui cupiditatibus carnalibus consentientes facienda esse decernunt, etiam si ad implendum facultas non datur.

Et qui sunt fructus, per quos agnoscamus arborem bonam, idem ipse consequenter dicit: *fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia.* Sane sciendum est, hîc gaudium proprié positum: mali enim homines non gaudere, sed gestire dicuntur propriè. Ex ista proprietate verbi, qua gaudium non dicitur nisi in bonis, etiam Propheta loquitur dicens: *non est gaudium impiis, dicit Dominus.* Cito enim senties dulciores esse justitiæ fructus quam iniquitatis; et verius atque jucundius gaudere hominem de bona conscientia inter molestias, quam de mala inter delicias, si ejus qui veram requiem promisit præcepta dilexeris. Ita quoque posita est fides, non quæcumque utique, sed vera *fides, quæ per dilectionem operatur. Credenti enim in eum qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam.* Quid est ergo credere in èum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, et ejus membris incorporari. Ipsa est ergo fides, quam de nobis exigit Deus: et non invenit quod exigat, nisi donaverit quod inveniat. Cetera etiam quæ hîc posita sunt, habent quasdam imagines suas in malis hominibus et deceptoribus; ut omnino fallant, nisi quisque mundum oculum et simplicem habuerit quo ista cognoscat.

Qui sunt tandem illi, de quibus Dominus dicit: *non omnis qui mihi dicit: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum?* Certe manifestum est, quia de his dicit qui nomen Christi habent. Audi Apostolum gementem de talibus. Dicit aliquis annunciare Evangelium per

caritatem, alios per occasionem: de quibus dicit: *annuntiant Evangelium non rectè*. Rem rectam, sed ipsi non recti. Videte, fratres; si uxor amet maritum quia dives est non est casta. Non enim maritum amat, sed aurum mariti. Si autem maritum amat, et nudum amat, et pauperem amat. Si enim propterea amat, quia dives est, qui si (quomodo sunt casus humani,) proscribatur, et subito agens remaneat? Renuntiat illi fortè; quia quod amabat, non maritus erat, sed res ejus. Si autem veré maritum amat, etiam pauperem plus amat, quia cum misericordia amat. Quisquis enim á Deo præter Deum aliquid quærit, non casté Deum quærit.

Vos autem, Carissimi, qui Christi fidem habetis, non vos decipiant vel vani Pagani, vel falsi Judæi, vel falaces Hæretici, nec non in ipsa Cathòlica mali Christiani, tanto nocentiores, quanto interiores inimici. Multos ergo visuri estis ebriosos, avaros, fraudatores, aleatores; adulteros, fornicatores, remedia sacrilega sibi alligantes, præcantationibus et mathematicis, vel quarumlibet impiarum artium divinatoribus deditos. Animadversuri etiam estis quod illæ turbæ impleant ecclesias per dies festos Christianorum, quæ implent et theatra per dies solemnes Paganorum; et hæc videndo ad imitandum tentabimini. Cum ergo videritis multos non solum hæc facere, sed etiam defendere atque suadere, tenete vos ad legem Dei; ut qui nunc probati reprobis videntur esse permixti, non pœnam, sed vitam reperiant sempiternam, cum non secundum illorum sensum, sed secundum illius veritatem judicabuntur.



DOMINICA 8.ª POST PENTECOSTEM.

SERMO

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.—*S. Luc. 16. v. 9.*

Dominus Deus noster nolens aliquem nostrum perire, excolens Ecclesiam suam velut agrum suum, quærens fructum de arboribus suis antequam tempus securis adveniat, cum necesse erit infructuosas arbores amputare, non cessat admonere, ut cum tempus est, et cum Dei adjutorio in nostra potestate consistit, bona opera faciamus. Cum enim transierit tempus benè operandi non restat nisi recipiendi. Nemo tibi dicturus est post resurrectionem mortuorum in regno Dei: *frange esurienti panem tuum;* quia non invenies esurientem. Nemo dicturus est; vesti nudum, ubi omnium tunica inmortalitas erit. Nemo dicturus est: suscipe peregrinum, ubi omnes in patria sua vivent. Nam modo sumus omnes peregrini. Nemo dicet: visita ægrum ubi est sanitas sempiterna. Nemo dicet: sepeli mortuum, ubi mors moritur. Ista omnia pietatis officia in vita æterna necessaria non erunt, ubi sola pax erit et lætitia sempiterna.

In isto autem tempore, ut noverimus quantum nobis

commendat Deus opera misericordiæ, etiam ipsos sanctos suos egere fecit; ut cum fiunt hic amici de mammona iniquitatis, recipiant et ipsi amicos suos in æterna tabernacula: id est, ut cum servis Dei qui dum jugiter Deo vacant, aliquoties indigent, illi qui habent mundi divitias, eleemosynam largiantur, quomodo eos participes faciunt in terrena substantia, sic cum illis partem habere mereantur in vita æterna. Qui sunt qui habebunt tabernacula æterna, nisi sancti Dei? Et qui sunt qui ab ipsis accipiendi sunt in tabernacula æterna, nisi qui eorum indigentiæ serviunt, et quod eis opus est hilariter subministrant? Justi et sancti significantur hoc loco, qui eos introducunt in tabernacula æterna, qui necessitatibus suis terrena bona communicaverunt.

Hoc dixi propter lectionem Evangelii quám modo audivimus. Audivimus enim quod fecerit domino suo villicus ille, faciens sibi bonum de re domini sui, et largiens debitoribus illius, ut cum amotus esset á villicatione, susciperétur ab eis. Et quamvis fraudem fecerit domino suo, tamen cor ejus laudavit dominus ejus, non attendens ad damnum suum sed ad ejus ingenium. Quanto magis nos debemus, ipso Domino nostro Jesu Christo admonente, facere nobis amicos de mammona iniquitatis? Si laudari potuit ille á domino qui fraudem faciebat, quanto amplius placebunt Domino Deo, qui secundum ejus præceptum illa opera faciunt?

Sed quid est quod Dominus ait faciendos esse amicos de mammona iniquitatis? Hoc quidam malé intelligendo, rapiunt res alienas, et aliquid inde pauperibus largiuntur, et putant se facere quod præceptum est. Dicunt enim: rapere res alienas mammona est iniquitatis; erogare inde aliquid, maxime egentibus sanctis, hoc est facere amicos de mammona iniquitatis. Intellectus iste corrigendus est, immo de tabulis cordis vestri omnino delendus est. Nolo sic intelligatis. De justis laboribus facite

eleemosynas: ex eo quod recte habetis date. Non enim corrupturi estis judicem Christum, ut non vos audiat cum pauperibus, quibus tollitis. Si enim deprædaveris aliquem invalidum tu validior et potentior, et veniret tecum ad judicem hominem quemlibet in hac terra, habentem judicandi aliquam potestatem, velletque tecum caussam dicere; si tu de præda et spoliatione illa inopis dares aliquid judici, ut pro te judicaret, judex ille vel tibi placeret? Nempe pro te judicavit, et tamen tanta vis est justitiæ, ut et tibi displiceat.

Nolite ergo vobis talem pingere Deum, nolite collocare in templo cordis vestri tale idolum. Non est talis Deus vester, quales non debetis esse nec vos, si vos non sic judicetis, sed juste judicetis; etiam sic melior est vobis Deus vester: non est inferior: justior est, fons justitiæ est. Quidquid boni fecistis, inde sumpsistis; et quidquid boni eructuastis, inde bibistis. Laudatis vas, quia habet inde aliquid, et vituperatis fontem? Nolite velle eleemosynas facere de fœnore et usuris. Fidelibus dico, eis quibus Christi Corpus erogamus dico. Timete, corrigite vos; ne dicam postea: tu facis et tu facis. Et puto quia si fecero, non mihi debetis irasci, sed vobis, ut corrigamini. Ad hoc enim valet quod dictum est in Psalmo: *irascimini et nolite peccare.* Volo vos irasci, sed ut non peccetis. Ut autem non peccetis, quibus habetis irasci, nisi vobis? Quid est enim homo penitens, nisi homo irascens sibi? Ut accipiat veniam, de se ipso exigit pœnam; et recte dicit Deo: *averte faciem tuam à peccatis meis, et iniquitatem meam ego cognosco.* Si tu cognoscis, et ille ignoscit. Qui faciebatis, nolite facere: non licet.

Neque in ista semilitudine de villico quem dominus ejiciebat de villicatu, et laudavit eum quòd in futurum sibi prospexerit omnia debemus ad imitandum sumere. Non enim aut Domino nostro facienda est in aliquo fraus, ut de ipsa fraude eleemosynas faciamus; aut eos á quibus

récipi volumus in tabernacula æterna, tamquam debitores Dei et Domini nostri fas est intelligi; cum justi et sancti significentur hoc loco, qui eos introducant in tabernacula æterna, qui necessitatibus suis, terrena bona communicaverint: de quibus etiam dicit, quod si quis alicui eorum calicem aquæ frigidæ dederit tantum in nomine discipuli, non perdet mercedem suam: sed etiam è contrario ducuntur istæ similitudines; sicut de judice iniquitatis qui interpellabatur á vidua comparationem etiam duxit Dominus ad judicem Deum, cui nulla ex parte judex iniquus conferendus est. Neque ullo modo nos Dominus ut sibi fraudem faciamus hortatur: sed si qui fraudando sibi providit in posterum, laudatum eum dicit á domino; quanto majore alacritate sibi providere debent in æternam vitam, quibus ut juste operentur jubetur de mammona iniquitatis?

Est quidem et alius intellectus; nec ipsum tacebo. Mammona iniquitatis, divitiæ sunt seculi omnes, undecumque sint. Undecumque enim congregentur, mammona iniquitatis est, id est, divitiæ sunt iniquitatis. Quid est divitiæ sunt iniquitatis? Pecunia est, quam nomine divitiarum apellat iniquitas. Si enim veras divitias quæris, aliæ sunt. Talibus Job nudus abundabat, quando in Deum cor plenum habebat, et laudes Deo, perditis omnibus rebus, tamquam gemmas pretiosissimas proferebat. Videte foris pauperem, intus divitem. Istæ gemmæ laudis Dei exirent de ejus ore, nisi thesaurum haberet in corde? Ipsæ sunt veræ divitiæ. Istæ autem ab iniquitate apellantur divitiæ. Quales divitiæ sunt, propter quas latronem times, propter quas times servum tuum, ne te occiso auferat et fugiat? Si veræ divitiæ essent, securitatem tibi darent.

Ergo illæ sunt veræ divitiæ, quas cum habuerimus perdere non possumus. Et ne forte propter illas furem timeas, ibi erunt ubi nullus auferat. Audi Dominum tuum: *thesaurizate vobis thesauros in cœlo, quo fur*

non accedat. Nostræ divitiæ ibi sunt, ubi est domus nostra æterna in cœlis. Audi etiam Psalmistam: *dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Audisti veras divitias; fac amicos de mammona iniquitatis, et eris *beatus populus, cujus est Dominus ipsius.* An forte temerè dicimus, faciendo nobis Deum possessionem, cum sit Dominus, cum sit Creator? Non est ista temeritas: affectus est desiderii et dulcedo spei. Dicat anima, omnino secura dicat: *Deus meus es tu, qui dicit animæ nostræ: salus tua ego sum.* Dicat, secura dicat: non faciet injuriam cum hoc dixerit; immo faciet si non dixerit.

O Domine Deus noster, ut veniamus ad te fac nos beatos de te. Nolumus de auro, neque de argento, nec de fundis: nolumus de terrenis istis, et vanissimis, et caducæ vitæ transitoriis. Fac nos beatos de te, quia non perdemus te. Fac nos beatos de te, quia *beatus populus, cujus est Dominus Deus ipsius.* Nec irascitur, si dixerimus de Deo, fundus noster. Magna res, fratres, et hereditas nostra est: quia et colimus eum, et colit nos. Nulla est injuria illi quia et colit nos. Quia si nos colimus illum ut Deum nostrum, ille nos ut agrum suum. Et ut sciatis quia colit nos, audite eum quem misit nobis: *ego sum,* inquit, *vitis, vos estis palmites, Pater meus agricola.* Ergo colit nos. Si fructum reddamus, parat horreum. Si autem sub tanto cultore steriles esse voluerimus, et pro frumento, spinas protulerimus...... nolo dicere quod sequitur, ad gaudium finiamus.



DOMINICA 9.ª POST PENTECOSTEM.

SERMO

Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.—*S. Luc. 19. v. 42.*

Qui tam superbe sapiunt, ut suæ voluntatis viribus tantum existiment esse tribuendum, ut negent sibi esse necessarium divinum adjutorium ad benè vivendum, non possunt credere in Christum. Non enim aliquid prosunt syllabæ nominis Christi, et sacramenta Christi, ubi resistitur fidei Christi: Fides autem Christi est, credere in eum qui justificat impium; credere in mediatorem, sine quo interposito non reconciliamur Deo; credere in salvatorem, qui venit quod perierat quærere atque salvare; credere in eum qui dixit: *sine me nihil potestis facere.* Etenim quidquid ille operatur per nos, nos videmur operari. Potest ille multum et totum sine nobis, nos nihil sine illo. Qui ergo ignorans Dei justitiam, qua justificatur impius, suam vult constituere qua convincatur superbus, in hunc non potest credere. Hinc et Judæi non poterant credere, non quia mutari in melius homines non possunt; sed quia quamdiu talia sapiunt, non possunt credere.

Hoc de Judæis qui excæcati et indurati sunt, Deus

præscivit, atque in ejus Spiritu Propheta prædixit. *Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum*, ait Isaias, *ut non videant oculis, et intelligant corde, et convertantur et sanem illos*. Neque enim ut essent infidelis, cogebantur in vitium; sed nolendo credere infidelitatis crimine non carebant. Meriti erant sic excæcari, ut Filium Dei non agnoscerent. Et hoc fecit Deus, non vulnerando, sed non sanando. Non enim propterea quemquam Deus ad peccatum cogit, quia futura hominum peccata jam novit. Fecerunt ergo peccatum Judæi, quod eos non compulit facere cui peccatum non placet, sed facturos esse prædixit, quem nihil latet. Et ideo si non malum, sed bonum facere voluissent, non prohiberentur: et hoc facturi præviderentur ab eo qui novit quid sit quisque facturus, et quid ei sit pro ejus opere redditurus.

Dominus etiam in Evangelio quod lectum est increpat Judæos dicens: *et tu, si cognovisses tempus visitationis tuæ, forsitam permansisses; nunc autem abscondita sunt de oculis tuis.* Hoc ad tempus primi adventus Domini pertinet, non secundi. De secundo quippe adventu suo dixit: *non est vestrum scire tempora,* non de primo. De illo enim ab eo quæsierunt Discipuli quem sperabant, non de isto quem jam videbant. Si enim primum ejus adventum Judæi *cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent;* et ideo non everti, sed permanere potuissent. Adventus quippe ejus quantum credentibus salutaris, tantum non credentibus exitiabilis factus est. Sicut enim ignorabatur Christus ab his, qui Prophetis non crediderunt antequam veniret, sic ignorabatur et præsens. Venerat enim humiliter primo et occultus; tanto occultior quanto humilior: populi autem spernentes per superbiam suam humilitaten Dei, crucifixerunt Salvatorem suum, et fecerunt damnatorem suum.

Quis enim dubitet hoc de Judæis fuisse prophetatum, cum Isaias dicat: *cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit?* Aut illud quod Apostolus commemorat: *tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem:* et multa hujusmodi. In judicium venit in mundum ille judex futurus vivorum et mortuorum. Quare venit? Ut qui non vident videant: id est, qui se non videre confitentur, illuminentur; et qui vident, cæci fiant: id est, qui cæcitatem suam non confitentur gravius obdurentur. Legis defensores, Legis tractatores, Legis doctores, Legis intellectores, auctorem Legis crucifixerunt. O cæcitas. Ut crucifigeretur Christus, et plenitudo Gentium intraret, cæcitas ex parte Israël facta est. Totus orbis cæcus jacebat: sed venit ille, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant. Ignoratus á Judæis, crucifixus est á Judæis. Cæci facti qui se jactabant videre lucem, crucifixerunt lucem. Quanta cæcitas! Lucem occiderunt, sed crucifixa lux cæcos illuminavit.

Hæc cæcitas Judæorum occulta vindicta est: manifesta veró quæ? *Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.* Factum est hoc in ipsa civitate Jerusalem, in qua sibi visi sunt potentes clamando adversus Filium Dei: *crucifige, crucifige*, et prævalendo, quia potuerunt occidere eum qui mortuos suscitabat. Quám sibi potentes, quám magni visi sunt! Consecuta est postea vindicta Domini, expugnata est civitas, debellati Judæi, occisa nescio quot hominum millia. Nullus illuc modo permittitur accedere Judæorum: ubi potuerunt adversus Dominum clamore, ibi á Domino non permittuntur habitare. Perdiderunt locum furoris sui: atque utinam vel nunc cognoscant locum quietis suæ. Quid profruit illis Caiphas dicendo: *si dimittimus eum sic, venient Romani, et tollent nos-*

trum locum et gentem? Ecce et non dimiserunt vivum, et ille vivit; et venerunt Romani, et tulerunt et locum et regnum. In hac eversione Jerusalem Josephus, qui judaicam scripsit historiam, talia mala dicit illi populo accidisse, ut vix credibilia videantur. Unde non immerito dictum est, talem tribulationem nec fuisse á creaturæ initio, nec futuram.

Propter hoc etiam illa gens regno suo pulsa est et dispersa per terras, ut Christi fidei cujus inimici sunt, ubique testes fieri cogerentur. Perdito quippe templo, sacrificio, sacerdotio, ipsoque regno, in paucis veteribus sacramentis nomen genusque custodiunt; ne permixti gentibus sine discretione dispereant, et testimonium veritatis amittant: velut Cain accipiente signum, ut eum nullus occidat, qui fratrem justum invidus et superbus occidit. In istis ergo inimicis fidei christianæ demonstratur gentibus quomodo prophetatus est Christus: ne forté cum vidissent tanta manifestatione impleri prophetias, putarent easdem Scripturas á christianis esse confictas, cum de Christo prædicta recitarentur, quæ completa cernuntur. Proferuntur enim codices á Judæis, atque ita Deus demonstrat nobis in inimicis nostris; quos ideo non occidit, hoc est, de terris non penitus perdidit, ne obliviscerentur legis ipsius: quam propterea legendo, et quædam ejus quamvis carnaliter observando, meminerunt, ut sibi sumant judicium, nobis præbeant testimonium.

Ista cæcitas fuit in Judæis grande incredulitatis malum, et grandis caussa peccati, ut occiderent Christum. Ergo, fratres, *ambulate dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant.* Tenebræ autem vos comprhendent, si eo modo credideritis Christi æternitatem, ut negetis in eo mortis humilitatem. *Qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.* Sic potest offendere in lapidem offensionis et petram scandali, quod fuit Dominus

cæcis Judæis; sicut credentibus *lapis, quem reprobaverunt ædificantes, factus est in caput anguli.* Hinc dedignati sunt credere in Christum, quia eorum impietas contempsit mortuum, risit occisum: et ipsa erat mors grani multiplicandi, et exaltatio trahentis post se omnia. *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis.* Cum aliquid veri auditum habetis; credite in veritatem, ut renascamini in veritate.



DOMINICA 10.ᴬ POST PENTECOSTEM.

SERMO

Duo homines ascenderumt in templum orare, unus Pharisæus, et alter publicanus.—*S. Luc. cap. 18. v. 10.*

Lectio sancti Evangelii, fratres carissimi, ædificat nos ad orandum, et non de nobis, sed de Domino præsumendum. Fieri enim potest, ut quisque et mala vera devitet, et vera bona in se consideret, et de his Patri luminum gratias agat, *à quo descendit omne datum optimum, et omne domum perfectum*, et tamen elationis vitio reprobetur, si aliis peccatoribus, maximeque peccata in oratione confitentibus, vel sola cogitatione quæ coram Deo est, superbus insultet, quibus non exprobatio cum inflatione, sed miseratio sine desperatione debetur. Hinc et in Evangelio duo proponuntur orantes in templo propter eos, qui sibi justi videntur et spernunt cæteros; et enumerationi meritorum præfertur confessio peccatorum.

Duo homines, ait quidem Dominus Jesus in Evangelio, *ascenderunt in templum orare, unus Pharisœus, et alter Publicanus. Pharisœus dicebat: gratias tibi ago, Deus, quia non sum sicut cœteri hominum, rapto-*

res, injusti, adulteri; quomodo et Publicanus iste. Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Publicanus autem de longinquo stabat, neque oculos audebat ad cœlum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens: propitius esto mihi peccatori. Amen dico vobis, descendit justificatus de templo Publicanus ille magis quam ille Pharisæus. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur.

Diceret saltem Pharisæus: non sum sicut multi homines. Quid est, cæteri homines, nisi omnes præter ipsum? Ego, inquit, justus sum, cæteri peccatores. Non sum sicut cæteri homines injusti, raptores, adulteri. Et ecce tibi ex vicino Publicano majoris tumoris occasio. *Sicut*, inquit, *Publicanus iste.* Ego, inquit, solus sum: iste de cæteris est. Non sum, inquit, talis qualis iste, per justitias meas, quibus iniquus non sum. Qui enim vult fortis esse, velut præsumens de se, et jactans menta sua, qualiacumque illa sint, erit similis Pharisæo illi, qui quod á Deo se dicebat accepisse, superbe tamen jactabat. *Gratia tibi ago*, dixit. Unde ergo superbus? Non quia de bonis suis Deo gratias agebat, sed quia super alterum se de ipsis bonis extollebat.

Attendite; nam unde cæperit dicere similitudinem ipsam Dominus, Evangelista præmisit. Cum enim Christus dixisset, *putas veniens filius hominis inveniet fidem in terra?* et ne existerent quidam hæretici qui attendentes et putantes quasi lapsum totum mundum (omnes enim hæretici in paucis et in parte sunt,) jactarent se, quod in ipsis remansit quod de toto mundo perierit, ibi statim ubi ait Dominus: *putas veniens filius hominis inveniet fidem in terra?* subjecit Evangelista et ait: *dixit autem et ad quosdam, qui se justi videbantur, et spernebant cœteros, similitudinem hanc: quidam Pharisœus et Publicanus venerunt in templum ora-*

re: et cætera que audistis. Pharisæus ergo ille dicebat: *gratias tibi ago.* Sed unde superbus? Quia spernebat cæteros. Publicanus autem de longinquo stabat: sed Deus ad illum de longinquo non stabat? *Prope est Dominus his qui obtriverunt cor.*

Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium, quæ possideo, dicebat etiam Pharisæus. Quid rogaverit Deum, quære in verbis ejus, nihil invenies. Ascendit orare; noluit Deum rogare, sed se laudare. Parum est, non Deum rogare, sed se laudare; insuper est roganti insultare. Non enim ille Pharisæus tam sua sanitate, quam morborum alienorum comparatione gaudebat. Utilius autem illi erat, quoniam ad medicum venerat, ea de quibus ægrotabat, confitendo monstrare, quám dissimulare á vulneribus suis, et de cicatricibus alienis gloriari. Qui ante Deum se projicit, ab illo erigitur: qui adversus illum se erigit, ab illo projicitur. Alia est enim soliditas magnitudinis, alia est inanitas inflationis. Qui foris tumescit, intus tabescit.

Publicanus autem de longinquo stabat, et Deo tamen ipse appropinquabat. *Excelsus enim Dominus, et humilia respicit.* Excelsos autem, qualis erat ille Pharisæus, á longe cognoscit. Excelsa quidem Deus á longe cognoscit, sed non ignoscit. Adhuc audi humilitatem Publicani. Parum est quia de longinquo stabat: nec oculos suos ad cœlum levabat. Ut aspiceretur, non aspiciebat. Respicere sursum non audebat: præmebat conscientia spes sublebabat. Adhuc audi: *percutiebat pectus suum.* Pœnas de se ipso exigebat: propterea Dominus confitenti parcebat. Percutiebat pectus suum dicens: *Domine, propitius esto mihi peccatori.* Ecce qui rogat. Quid miraris, si Deus ignoscit, quando ipse se agnoscit?

De Pharisæo et Publicano accepisti controversiam; audi sententiam: audisti superbum accusatorem; audisti reum humilem; audi nunc judicem. *Amen dico vobis.*

Veritas dicit; Deus dicit; Judex dicit: *amen dico vobis, descendit justificatus de templo Publicanus ille, magisquam ille Pharisæus.* Dic, Domine, causam. Ecce video Publicanum justificatum magis de templo decendere, quám Pharisæum. Quæro quare. Quæris quare? Audi quare. Quia omnis *qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, axaltabitur.* Audisti sententiam, cave causam malam. Aliud dico: audisti sententiam, cave superbiam.

Videant nunc, audiant ista nescio qui impie garrientes, et de suis viribus præsumentes: audiant qui dicunt: Deus me hominem fecit, justum ipse me facio. O pejor et detestabilior Pharisæo! Pharisæus ille superbe quidem justum se dicebat, sed tamen inde ille Deo gratias agebat. *Gratias, tibi Deus, quia non sum sicut cæteri homines.* Gratias Deo agit, quia non est sicut cæteri homines: et tamen tamquam superbus et inflatus reprenhenditur, non quia Deo gratias agebat, sed quia velut nihil sibi addi cupiebat. *Gratias tibi, quia non sum sicut cæteri homines, injusti.* Ergo tu justus; ergo nihil rogas; ergo jam non *est tentatio vita humana super terram;* ergo jam plenus es; ergo jam abundas; ergo jam non est quare dicas: *dimitte nobis debita nostra?* Quid est ergo qui impie oppugnat gratiam, si reprehenditur qui superbe agit gratias?

Curemus superbiam, fratres mei, et nulla erit iniquitas. Ad superbum Deus non accedit. *Excelsus Dominus, et humilia respicit; non excelsa autem á longe cognoscit. Excelsus Dominus, et humilia respicit* non á longe; *excelsa autem á longe cognoscit.* Pharisæus ille improbatus est; quia veluti saturatus nihil de alimentis justitiæ jam rogabat accipere, et quod eam Publicano esurienti et sitienti se velut insultans præferre gestiebat. Publicanus vero non jactabat merita, sed offerebat vulnera. Ad medicum venerat, sciebat se languidum;

sciebat se sanandum: *oculos ad cœlum levare non audebat*, pectus percutiebat, sibi non parcebat, ut ille parceret; se agnoscebat, ut ille ignosceret. Audite iterum sententiam Domini: *amen dico vobis, descendit justificatus de templo Publicanus ille magis quam ille Pharisæus.* Vultis audire quare? *Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur.*



DOMINICA II.ª POST PENTECOSTEM.

SERMO

Exiens Jesus de finibus Tyri, venit per Sydônem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos. —*S. Mar. cap. 7. v. 34.*

Toto tempore, quo Dominus noster Jesus Christus in carne mortali cum suis discipulis vixit, multa fecit et docuit: ideo habuerunt unde scriberent omnes Evangelistæ, sicut eis subministrabat spiritus recordationis rerum, quas scriberent. Alius aliud dixit, alius aliud. Prætermittere aliquis potuit aliquid verum, non dicere aliquid falsum. Omnia ista computate unum dixisse: verè enim unus dixit, quia unus Spiritus in omnibus fuit. Quod sæpe admonendi estis, et memoriter tenere debetis, non vos debet movere quod alius Evangelista dicit si quid alius prætermittit: quia et ille qui prætermittit quod alius dicit, dicit aliquid quod ille prætermisserat. Aliqua verò singuli dicunt, et alii tres non dicunt; aliqua duo dicunt, et alii non dicunt; aliqua tres dicunt, et unus non dicit. Auctoritas autem tanta est Evangelii sancti ut quia in eis loquebatur Spiritus unus, verum sit etiam quod dixerit unus.

Quod modo lectum audivimus, solus Marcus Evange-

lista scripsit. Post miraculum illud de septem panibus, et paucis pisciculis, quod narrat Matheus et Marcus etiam commemorat eodem penè ordine, interponit hìc Evangelista quod nullus alius dicit de surdo et muto, quem adduxerunt Domino deprecantes eum, ut imponeret illi manum. Ait quidem Evangelium: *exiens Jesus de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare GalilϾ inter medios fines Decapoleos. Et adducunt ei surdum et mutum, et deprecabantur eum, ut imponat illi manum. Et aprehendens eum de turba seorsum, missit digitos suos in auriculas ejus: et expuens, tetigit linguam ejus. Et suspiciens in cœlum, ingemuit et ait illi: Ephphetha, quod est adaperire. Et statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur rectè. Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, et eo amplius admirabantur dicentes: benè omnia fecit, et surdos fecit audire, et mutos loqui.*

Quando Dominus noster Jesus Christus cum eis loqueretur, qui carnis aures apertas haberent, dicebat tamen: *qui habet aures audiendi audiat,* quas non omnes habere proculdubio, noverat. A quo autem habent quicumque habent, ipse Dominus ostendit ubi ait: *dabo eis cor cognoscendi et aures audientes.* Aures ergo audiendi ipsum est donum obediendi; ut qui id haberent, venirent ad eum, ad quem nemo venit, nisi fuerit ei datum á Patre ipsius. Exhortamur ergo nos atque prædicamus: sed qui habent aures audiendi, obedienter audiunt: qui vero eas non habent, fit in eis quod scriptum est; *ut audientes non audiant;* audientes videlicet corporis sensu, non audiant cordis assensu. Quis enim ante Dominum, quando ista dicebat, sine auribus stabat? Cum ergo omnes qui in conspectu ejus erant, utique haberent aures, quas ille aures quærebat nisi cordis, cum diceret: *qui habet aures audiendi audiat?*

Idcirco Verbi Dei assiduos auditores, beatus Jacobus apostolus convenit, dicens, *Estote autem factores verbi et non auditores tantum fallentes vosmetipsos.* Neque enim eum cujus verbum est aut per quem dicitur verbum: sed vosmetipsos fallitis. Ego enim, vel quis quis vobis prædicat verbum, cor vestrum non videt: quid agatis intus in cogitationibus vestris, judicare non potest. Quia homo non potest intuentur Deus cui cor humanum non potest occultari. Ipse videt quo studio audias, quid cogites, quid teneas, quantum proficias de supplementis suis, quám instanter ores, quemadmodum depreceris Deum ex eo quod non habes, quomodo gratias agas ex eo quod habes: ille novit qui exacturus est. Nos pecuniam dominicam erogare possumus; veniet exactor qui dixit, *Serve nequam, dares pecuniam meam nummulariis, et ego veniens cum usuris exigerem.* Qui enim Verbum Dei timore carnalium incommodorum abscondit, ipsam utique carnem præponit manifestationi veritatis, et ea quasi cooperit verbum, timendo prædicare. Illud moneo, illud dico, fratres, et ego commoneo, quia commoneor. Ille terret me, qui tacere non sinit. De me exigit quod dedit. Dedit enim erogandum, non servandum.

Nolite ergo fratres mei, fallere vosmetipsos, qui venistis studiosè ad audiendum verbum, si non facitis quod auditis deficiendo. Cogitate si pulcrum est audire, quanto magis facere. Si non audis, auditum negligis, nihil ædificas. Si audis, et non facis, ruinam ædificas. Domini Christi est de hac re proposita congruentissima similitudo: *Qui audit*, inquit, *verba mea hæc, et facit ea, similabo eum viro prudenti, qui ædificat domum suam super petram. Descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti et impegerunt in domum illam, et non cecidit.* Quare non cecidit? Fundata enim erat super petram. Ergo audire et facere, ædificare est super petram. Ipsum enim audire ædificare est. *Qui autem*, inquit, *audit verba*

mea hæc, et non facit ea, similabo eum viro stulto, qui ædificat. Et ipse ædificat. Quid ædificat? Ecce ædificat domum suam: sed quia non facit quod audit, et audiendo ædificat super arenam. Ergo super arenam, qui audit et non facit, ædificat: super petram, qui audit et facit: nec super arenam, nec super petram ædificat, qui omnino non audit. Vide autem quid sequatur: *descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, et impegerunt in domum illam, et cecidit;* et facta est ruina ejus magna. Spectaculum miserabile.

Si enim surdi sunt qui non obtemperant Verbo Dei, etiam si intelligant, muti sunt, qui Deum non laudant. Meditatio præsentis vitæ nostræ in laude Dei esse debet: quia exultatio sempiterna futuræ nostræ vitæ, laus Dei erit: et nemo potest idoneus fieri futuræ vitæ, qui non se ad illam modo exercuerit. Modò ergo laudamus Deum. Laus nostra lætitiam habet, oratio gemitum. Promissum est enim nobis aliquid, quod nondum habemus; et quia verax est qui promisit, in spe gaudemus; quia tamen nondum habemus, in desiderio gemimus. Bonum est nobis perseverare in desiderio, donec veniat quod promissum est, et transeat gemitus, succedat sola laudatio. In capite enim nostro nobis utrumque figuratum est, utrumque demostratum est. Passio Domini ostendit nobis vitam præsentis necessitatis, quia oportet laborare, et tribulari, et ad extremum mori: resurrectio verò et clarificatio Domini ostendit nobis vitam, quam accepturi sumus, cum venerit retribuere digna dignis, mala malis, bona bonis. Nunc ergo, fratres, exhortamur vos, ut laudetis Deum: *Laudate Dominum,* dicis tu alteri, dicit ipse tibi: cum se omnes exhortantur, omnes faciunt quod hortantur. Sed laudate de totis vobis: id est, ut non sola lingua et vox vestra laudet Deum, sed et conscientia vestra, vita vestra, facta vestra.

Summum ergo hominis opus non est nisi Deum

laudare. Illius est specie sua placere tibi; ad te pertinet eum in gratiarum actione. Opera tua si non fuerint laus Dei, incipis te ipsum amare; et pertinebis ad illos, de quibus dicit Apostolus, *erunt enim homines se ipsos amantes*. Displice tibi, placeat tibi qui te fecit; quia in eo tibi displices quod ipse fecisti. Opus ergo tuum sit laus Dei. Ipsi laudant Dominum, qui se subdunt Domino. Non potest esse laus Dei, nisi in sanctis ejus. Nam qui male vivunt non eum laudant; sed et si prædicant lingua blasphemant vita. Tunc enim Domino Deo nostro erit jucunda laus, si bené vivendo laudetur. Audi quia tunc erit illi jucunda laus. Alio loco dicitur, *non est speciosa laus in ore peccatoris*. Si ergo in ore peccatoris speciosa laus non est, jucunda non est: hoc enim jucumdum, quod speciosum. Vis ergo ut Deo tuo jucunda sit laus? Noli bonæ cantilenæ tuæ obstrepere moribus malis. Si enim male vivis et bona dicis, nondum laudas: sed rursus si cum cœperis benè vivere, meritis tuis tribuas quod benè vivis, nondum laudas.

Quia enim bona sunt omnia, quia bonus Deus qui fecit omnia: et laudaut illum opera sua, considerata quia bona sunt, ab eo qui habet spiritum considerandi, spiritum pietatis et sapientiæ. Undique laudatur Deus ab operibus suis. Quomodo illum laudant opera sua per os trium puerorum? quid prætermissum est? Laudant cœli, laudant Angeli, laudant sidera, laudant sol et luna, laudant dies et noctes, laudat quidquid germinat de terra, laudat quidquid natat in mari, laudat quidquid volitat in aëre, laudant omnes montes et colles, laudant frigora et æstus, et cætera omnia quæ Deus fecit, audistis quia laudant Deum: numquid audistis ibi quia laudat Deum avaritia, quia laudat Deum luxuria? Non laudant ista, quia non ipse illa fecit. Laudant ibi homines Deum: hominis creator est Deus. Avaritia opus est mali hominis, homo ipse opus est Dei. Et quid vult Deus? Occidere in

te quid ipse fecisti, et salvare quod ipse fecit. Tunc enim homo desinit laudare Deum, quando á justitia, et ab eo quod illi placet, declinat.

Sed cavendum est ne quisquam arbitretur, hoc quod in ultimo ex Evangelio Marci posui, repugnare omnibus qui eum aliis ejus plerisque factis et dictis ostendunt scisse quid ageretur in hominibus, id est, quod eum cogitationes et voluntates eorum latere non poterant: sicut apertissime Joannes dicit, *Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, et quia opus ei, non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat quid esset in homine.* Creator hominis noverat quid esset in homine, quod ipse creatus homo non noverat. Sed quid mirum si præsentes hominum voluntates videbat, qui etiam futuram Petro prænuntiavit, quam tunc utique non habebat, quando pro illo vel cum illo paratum se mori præsumebat? Quæ cum ita sint, quomodo huic ejus tantæ scientiæ et præscientiæ non est contrarium quod Marcus dicit, *præcepit illis ne cui dicerent: quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant?* Si enim sciebat eos, sicut ille qui notas habebat et præsentes et futuras hominum voluntates, tanto magis prædicaturos, quanto magis ne prædicarent eis præcipiebat, ut quid hoc præcipiebat, nisi quia pigris volebat ostendere, quanto studiosius quantòque serventius eum prædicare debeant, quibus jubet ut prædicent, quando illi qui prohibebantur, tacere non poterant?

Audiamus attente, fratres, verbum Dei. Audiamus et faciámus: si volumus habere spem, non nos excusemus. Qui enim recusat donum Dei, ipsius excusationis reus tenetur. Ubique verbum Dei prædicatur. Rapiat ergo corda nostra, et possessor noster vindicet sibi possessionem suam mentes nostras, ne avertantur ad aliud. Tunc namque in nobis requiescit verbum Dei, quando nos ac-

quiescimus verbo Dei. Laudemus etiam Dominum, quia laudari se vult: et hcc, ut nos proficiamus, non ut ille sublimetur. Nec enim laudibus nostris ille crescit, sed nos. Et quoniam nobis expedit laudare Dominum, misericorditer jubet, ut laudemus eum non arroganter. Audiamus ergo quod dicit: *laudate nomen Domini; laudate servi Dominum.* Non enim aliquid incongruum facimus, laudando servi Dominum. Et si semper tantummodo servi essemus, deberemus laudare Dominum; quanto magis debemus laudare Dominum servi ut esse mereamur et filii?



DOMINICA 12.ª POST PENTECOSTEM.

SERMO

Quis est proximus meus?—*S. Luc. cap. 10. v. 29.*

Proximus noster ille est, qui nobiscum natus est ex Adam et Eva. Omnes proximi sumus ex conditione terrena nativitatis. Omnis quippe homo est homini proximus; nec ulla cogitanda est longinquitas generis, ubi est natura communis. Nonne duos illos parentes habuimus omnes? Proxima sunt sibi cujuscumque generis animalia, columbus columbo, pardus pardo, aspis aspidi, pecus pecori, et non est proximus homo homini? Sed proximus non tantum saguinis propinquitate, sed etiam ratione societatis pensandus est, in qua socii sunt omnes homines. Nam si pecuniæ ratio socios facit, quanto magis ratio naturæ, non negotiandi, sed nascendi lege communis? Hinc et ille comicus (sicut luculentis ingeniis non defit resplendentia veritatis) cum ab uno sene alteri seni dictum componeret: tamtumne ab re tua est otii tibi, aliena ut cures, ea quæ nihil ad te attinent? Responsum ab altero reddidit: homo sum; humani nihil á me alienum puto. Cui sententiæ ferunt etiam theatra tota plena stultis indoctisque, applausisse. Ita quippe omnium

affectum naturaliter attingit societas humanorum animorum, ut nullus hominum nisi cujuslibet hominis proximum se esse sentiat.

Proximi enim nomen ad aliquid est, nec quisquam esse proximum nisi proximo potest. Sed illud maximè tenendum est, ne se quisquam credat, contempto proximo, ad beatitudinem et ad Deum quem diligit esse venturum. Atque utinam ut facile est benè instituto et benigno diligere proximum, ita facile esset vel consulere, vel nihil nocere. Ideo ipse veriùs dicitur proximus tuus, qui te de proximo attendit; hoc est, misericorditer respicit. *Homo quidam,* ait Dominus Jesus in Evangelio, *descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui eum vulneraverunt, et semivivum in via relinquerunt.* Transierunt propinqui: Judæus enim erat, et de Jerusalem descendebat Jericho: transiit Sacerdos, utique genere proximus, et præteriit jacentem: transiit et Levites, et hic genere proximus, jacentem etiam ipse contempsit. Transiit Samaritanus, genere longinquus, misericordia proximus; ipse ad illum accessit, inspexit miseriam ejus, et curavit vulnera, infundens oleum et vinum, levavitque in jumentum suum, et duxit in stabulum. Altera die commendavit Stabulario curam ejus; dedit illi duos denarios unde curaretur, dicens: *si quid amplius erogaveris, in redeundo reddam tibi.*

Ut autem Dominus narraret hoc unde caussa descendit? Cuidam ab eo quærenti: *et quis est meus proximus?* hanc parabolam proposuit, ut doceret proximum illi vulnerato non fuisse, nisi qui erga illum recreandum atque curandum misericors extitit; ita ut qui hoc interrogaverat interrogatus ipse fateretur. Interrogatus enim á Domino: quis esset illorum sauciato proximus? respondit ille: *credo, qui cum illo fecit misericordiam.* Cui Dominus ait: *Vade, et tu fac similiter:* ut videlicet eum esse proximum intelligamus, cui vel exhibendum est

officium misericordiæ, se indiget, vel exhibendum esset, si indigeret. Nullum autem exceptum esse, cui misericordiæ denegetur officium, quis non videat, quando usque ad inimicos etiam porrectum est, eodem Domino dicente: *diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos?* Cum Dominus dicit: *diliges proximum tuum,* ibi sunt omnes homines, etiamsi fuerint inimici: quia etiam secundum spiritalem propinquitatem nescis quid tibi sit in præsentia Dei homo, qui tibi ad tempus videtur inimicus. Quia enim patientia Dei ad pœnitentiam eum adducit, fortassis cognoscet et sequetur ducentem.

Totum genus humanum est homo ille, qui jacebat in via, semivivus á latronibus derelictus. Universam quippe massam generis humani primus homo damnabilem fecit. Hinc post peccatum exul effectus, stirpem quoque suam, quam peccando in se tamquam in radice vitiaverat, pœna mortis et damnationis obstrinxit. Jerusalem interpretatur visio pacis, et gestat imaginem Ecclesiæ quo futura est, id est, civitatis Sanctorum, jam angelica vita fruentium. Ipsa nos genuit, ipsa nos nutrivit; ex parte peregrina, et ex parte immanes in cœlo. Ex parte qua immanet in cœlo, beatitudo Angelorum est; ex parte qua peregrinatur in hoc seculo, spes est justorum. Jericho luna interpretatur, et significat mortalitatem nostram, propter quod nascitur, crescit, senescit, et occidit. Unde ad Jericho descendebat ille ab Jerusalem qui incurrit in latrones; quia descendebat tamquam ab immortalitate ad mortalitatem; et merito in itinere vulneratus á latronibus et semivivus relictus est. Latrones diabolus et angeli ejus, qui eum spoliaverunt immortalitate, et plagis impositis, peccata suadendo, reliquerunt semivivum; quia ex parte qua potest intelligere et cognoscere Deum, vivus est homo: ex parte qua peccatis contabescit et premitur, mortuus est, et ideo semivivus dicitur.

Sacerdos autem et Levita, qui viso illo homine prætererunt, sacerdotium et ministerium Veteris Testamenti significant, quæ non poterant prodesse ad salutem. Neque enim sacerdotium illud, cujus personam gerebat Aaron, neque ipsa Lex, cujus personam gerebat Moyses, introducunt populum Dei in terram hereditatis æternæ; sed Jesus, in quo typus erat Domini Jesu Christi, id est, gratia per fidem. Samaritanus custos interpretatur: et ideo ipse Dominus significatur hoc nomine. Num enim pertinuit ad eum ut redimeremur, et non pertineret ut servaremur? Quis nos custodit si ille deserit? Alligatio vulnerum est cohibitio peccatorum. Oleum, consolatio spei bonæ, propter indulgentiam datam ad reconciliationem pacis. Vinum, exhortatio ad operandum ferventissimo spiritu. Jumentum ejus est caro, in qua ad nos venire dignatus est. Imponi jumento, est in ipsam incarnationem Christi credere. Non enim quisquam præter istam fidem; quæ est in Christo Jesu, sive ante ejus incarnationem, sive postea, reconciliatus est Deo.

Stabulum est Ecclesia, ubi reficiuntur viatores de peregrinatione redeuntes in æternam patriam. Stabulum est modò, quia vivendo transimus: domus erit, unde nunquam migrabimus, cum ad regnum cœlorum sani pervenerimus. Altera dies est post resurrectionem Domini. Duo denarii, sunt vel duo præcepta caritatis, quam per Spiritum Sanctum acceperunt Apostoli ad evangelizandum cæteris; vel promissio vitæ præsentis et futuræ. Secundum enim duas promissiones dictum est: *accipiet in hoc sæculo septies tantum, et in sæculo futuro vitam æternam consequetur*. Stabularius ergo est Apostolus. Quod supererogat, aut illud est consilium quod ait: *de virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do:* aut quod etiam manibus suis operatus est, ne infirmorum aliquem in novitate Evangelii gravaret, cum ei liceret pasci ex Evangelio.

Ergo, fratres, exercete misericordiam. Non est aliud vinculum caritatis, non est aliud vehiculum, quo perducamur ex hac vita ad æternam patriam. Extendite dilectionem usque ad inimicos, et securi stote. Discite diligere inimicos, si vultis cavere inimicos. In quantum autem in vobis caritas crescit, efficiens vos et revocans vos ad similitudinem Dei, pertendit usque ad inimicos; ut sitis ei similes qui facit solem suum oriri, non super bonos tantum, sed super bonos et malos, et pluit, non super justos tantum, sed super justos et injustos. Opere est enim demonstranda dilectio, ne sit infructuosa nominis appellatio



DOMINICA 13.ª POST PENTECOSTEM.

SERMO

Ite, ostendite vos sacerdotibus.
—*S. Luc. cap. 17. v. 14.*

Evangelica lectio decem leprosos mundatos nobis ostendit, et unum ex illis alienigenam gratias agentem mundatori suo. De istis decem leprosis, quos Dominus ita mundavit cum ait: *ite, ostendite vos sacerdotibus,* multa quæri possunt quæ merito quærentes movent. Non solum de numero quid sibi velint quod decem sunt, et quod unus ex illis solus gratias agit: hæc enim liberè quæruntur, ut etiam non investigata, vel nihil vel non multum impediant intentionem audientis: sed illa potiùs cur eos ad sacerdotes miserit, ut cum irent mundarentur. Nullum enim eorum, quibus hæc corporalia beneficia prestitit invenitur misisse ad sacerdotes nisi leprosos. Nam et illum á lepra mundaverat, cui dixit: *vade, ostende te sacerdotibus, et offer pro te sacrificium, quod præcepit Moyses in testimonium illis.* Deinde qualis mundatio spiritalis possit intelligi eorum, quos ingratos extitisse redarguit. Secumdum corpus enim facile est videre posse hominem non habere lepram, et tamen animi esse non boni, secundum significationem autem hujus

miraculi, conturbat considerantem quomodo mundus dici possit ingratus.

Quærendum igitur est, quid ipsa lepra significet: non enim sanati, sed mundati dicuntur qui ea caruerunt. Coloris quippe vitium est, non valetudinis aut integritatis sensuum atque membrorum. Leprosi ergo non absurde intelligi possunt qui scientiam veræ fidei non habentes, varias doctrinas profitentur erroris. Non enim vel abscondunt imperitiam suam, sed pro summa peritia proferunt in lucem, et jactantia sermonis ostentant. Nulla porro falsa doctrina est quæ non aliqua vera intermisceat. Vera ergo falsis inordinate permixta in una disputatione vel narratione hominis, tamquam in unius corporis colore apparentia, significant lepram, tamquam veris falsisque colorum fucis humana corpora variantem atque maculantem. Hi autem tam vitandi sunt Ecclesiæ ut si fieri potest, longiùs remoti magno clamore Christum interpellent: sicut isti decem leprosi steterunt á longe et levaverunt vocem dicentes: *Jesu præceptor, miserere nostri.* Nam et quod præceptorem vocant, quo nomine nescio utrùm quisquam Dominum interpellaverit pro medicina corporali, satis puto significare, lepram falsam esse doctrinam, quam bonus præceptor abstergit.

Sacerdotium verò Judæorum nemo ferè fidelium dubitat figuram fuisse futuri sacerdotii regalis, quod est in Ecclesia, quo consecrantur omnes pertinentes ad corpus Christi, summi et veri Principis sacerdotum. Unctum cum audis, Christum intellige; etenim Christus, á Chrismatè. Hoc nomen quod appellatur Christus, unctionis est: nec in aliquo alibi ungebatur rex et sacerdos, nisi in illo regno ubi Christus prophetabatur et ungebatur, et unde venturum erat Christi nomen; nusquam est alibi omnino, in nulla gente, in nullo regno. In istis enim duabus personis præfigurabatur futurus unus rex et sacerdos, utroque munere unus Christus. Rex autem noster est

quia nos regit et ducit; sacerdos quia pro nobis interpellat. Nunc autem et omnes unguntur quod tunc regibus tantùm et sacerdotibus fiebat: et quod ait Petrus ad Christianum populum scribens: *Regale Sacerdotium,* utrumque nomen illi populo convenire declaravit quo illa unctio pertinebat. Sicut enim omnes Christianos dicimus propter mysticum Chrisma, sic omnes sacerdotes, quoniam membra sunt unius sacerdotii: quod tamen de solis Episcopis et Presbyteris rectiùs dicitur, qui proprie jam vocantur in Ecclesia sacerdotes.

Cætera itaque vitia, tamquam valetudinis et quasi membrorum animæ atque sensuum, per se ipsum interiùs in conscientia et in intellectu Dominus sanat et corrigit: doctrina vero vel imbuendi per sacramenta, vel catechizandi per sermonem sonantem atque lectionem, ubi color quidam intelligitur verus atque sincerus, quia in promptu est et foris eminentissimus, (non enim in ocultis cogitationibus; sed in manifestis operationibus hæc aguntur.) Ecclesiæ propriè contributa est. Itaque et Paulus, voce Domini audita: *quid me persequeris?* et: *ego sum Jesus, quem tu persequeris;* ad Ananiam tamen missus est, ut illo sacerdotio quod in Ecclesia constitutum est, sacramentum doctrinæ fidei perciperet, et verus ejus approbaretur color. Non quia non potest per se ipsum Dominus omnia facere, nam quis alius hæc facit etiam in Ecclesia? sed ut ipsa societas congregatorum fidelium approbando in invicem atque communicando veræ fidei doctrinam in omnibus quæ dicuntur verbis, vel signantur sacramentis tamquam unam speciem veri coloris obducat.

Ad hoc etiam pertinet quod idem dicit Apostolus: *deinde post annos quatordecim ascendi Jerosolymam cum Barnaba assumpto et Tito: ascendi autem secundum revelationem; et exposui eis Evangelium quod prœdico in gentibus, seorsum autem iis qui eminebant in Ecclesia.* Ipsa enim collatio unam doctrinæ speciem

exclusa omni varietate monstrabat: quod salubriter etiam Corinthios monet dicens: *obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes.* Cornelius etiam cum eleemosynæ ejus acceptæ, et preces ejus auditæ illi ab Angelo nuntiarentur, propter doctrinæ tamen sacramentorumque unitatem ad Petrum jubetur mittere, tamquam illi et suis diceretur: ite, ostendite vos sacerdotibus. Nam et cum irent mundati sunt. Jam enim ad eos venerat Petrus; sed tamen ipsi nondum accepto baptismatis sacramento nondum spiritaliter ad sacerdotes pervenerant, et tamen infusione Spiritus Sancti, et admiratione linguarum eorum mundatio declarata est.

Quæ cum ita se habeant, jam facile est etiam illud videre, fieri posse ut quisque in Ecclesiæ societate doctrinam integram veramque assequatur, et omnia secundum catholicæ fidei regulam edisserat, distinguat á Creatore creaturam, eoque manifestetur varietate mendaciorum tamquam lepra caruisse et tamen ingratus sit Deo et Domino mundatori suo; quia elatus superbia gratiarum agendarum pia humilitate non sternitur, similisque efficitur illis de quibus dicit Apostolus; *qui cum cognovissent Deum, non ut Deum magnificaverunt, aut gratias egerunt.* Quod dicit eos Deum cognovisse ostendit quidem á lepra fuisse mundatos, sed tamen statim accusat ingratos. Si enim gratias egissent Deo qui diderat illis hanc sapientiam, non sibi aliquid tribuissent cogitationibus suis. Quapropter in desideria cordis sui traditi sunt á Domino, ut facerent quæ non convenirent. *Fœneratur peccator, et non solvet. Accipit et non reddet.* Quid non reddet? Gratiarum actionem. Illum enim qui de parvo gratias agit; ad magnum Deus admittit: qui autem de magnis gratias non agit, et quod habet amittit. Multa enim accepit peccator sed non benè vivendo non reddit quod

debet. Tollitur namque á Deo res sua, et remanet illi iniquitas sua. Ideoque tales in novenario numero tamquam imperfecti remanebunt.

Unum enim si addatur ad novem, quædam effigies unitatis impletur: quo fit tanta completio, ut ultra non progrediatur numerus, nisi rursus ad unum redeatur; et hæc per infirmitatem numeri regula custodiatur. Novem itaque indigent uno, ut quædam unitatis forma coagulentur et decem sint: unum autem non eis indiget ut custodiat unitatem. Quamobrem ut illi novem qui gratias non egerunt, reprobi effecti, á consortio unitatis exclusi sunt: ita unius illi qui gratias egit unicæ Ecclesiæ significatione approbatus atque laudatus est. Et quia illi erant Judæi, amisisse per superbiam declarati sunt regnum cœlorum, ubi maxime unitas custoditur: iste vero qui erat Samaritanus, quod interpretatur custos, illi á quo accepit tribuens quod accepit, et quodam modo cantans illud de Psalmo, *fortitudinem meam ad te custodiam;* per gratiarum actionem regi subjectus, unitatem regni humili devotione servavit. Quidquid enim possumus, nisi apud illum et ad illum servemus, recedendo amittimus: ideo vigilare debet semper mens nostra, non ab illo recedere, sed et si longe erat magis magisque propinquare et accedere non gressu pedum non subvectione vehiculorum, non celeritate animalium, non elevatione pennarum, sed puritate affectuum et probitate sanctorum morum.

Hoc tenete, in hoc persistite: Nemo variet, nemo leprosus sit. Doctrina inconstans, non habens unum colorem mentis lepram significat: et istam Christus mundat. Forté in aliquo variasti et inspexisti, et in melius sententiam commutasti, et quod varium erat, unius coloris effectum est. Noli tibi tribuere, ne sis inter novem qui gratias non egerunt. Unus egit gratias: cæteri Judæi erant, ille alienigena erat, gentes alienigenas significabat numerus ille

Christo decimas dedit. Illi ergo debemus quod sumus, quod vivimus, quod intelligimus: quod homines sumus, quod benè viximus, quod recte intelleximus, illi debemus. Nostrum nihil nisi peccatum quod habemus. *Quid enim habes, quod non accepisti.* Vos ergo maxime qui scitis quid audiatis curandum ab ægritudine, mundatum á varietate sursum cor ponite, et Deo gratias agite.



DOMINICA 14.ª POST PENTECOSTEM.

SERMO

Quærite ergo primùm regnum Dei, et justitiam ejus: et hæc omnia adjicientur vobis.—*S. Matt. cap. 6. v. 33.*

Munera Dei partim temporalia sunt atque terrena, partim æterna et cœlestia. Qui propter hoc colit Deum, ut terrena ista atque temporalia accipiat, quæ omnibus præsto sunt, quasi adhuc ut pecus est; utitur quidem misericordia Dei, sed non illa quæ excepta est, quæ non dabitur nisi solis justis, sanctis, bonis. Quæ sunt munera quæ omnibus abundant? *Qui solem suum oriri facit super bonos et malos*, et *pluit super justos et injustos.* Quis non habet istam misericordiam Dei, primo ut sit, ut discernatur á pecoribus, ut rationale sit animal, qui possit Deum intelligere, deinde frui ista luce, isto aëre, pluvia, fructibus, diversitate temporum, solatiis terrenis, salute corporis, affectu amicorum, salute domus suæ? Omnia ista bona sunt, et Dei munera sunt. Ne putetis, fratres, quod aliquis illa poterit dare nisi unus Deus. Quicumque ergo ista bona desiderant, et in his bonis felices esse volunt, et ista sola petunt á Deo, hoc quidem boni sunt quia á Deo petunt; sed adhuc periclitantur.

Dicet autem aliquis: quare periclitantur? Aliquando enim considerant res humanas, et vident ista omnia bona terrena, quæ desiderant, habere atque abundare impios et iniquos, et putant quod perdiderunt mercedem colendi Deum, quia id quod mali habent, et ipsi habent, cum ipsi colant Deum, quem non colunt illi; aut aliquando illi qui colunt non habent, et illi habent qui blasphemant: ergo in periculo sunt adhuc. Exigitur enim á nobis, ut gratis Deum colamus; non quia dat temporalia sed quia præstat æterna. Nam qui propter beneficia terrena Deum quærunt, non utique Deum sed illa quærunt. Eo modo timore servili, non liberali dilectione Deus colitur. Sic ergo Deus non colitur: hoc enim colitur quod diligitur. Unde quia Deus rebus omnibus major et melior invenitur, plus omnibus diligendus est ut colatur. Si rerum temporalium prosperitas adjacet, non propter ipsam Deo, sed ipsâ utamur propter Deum: nec eum existimemus propter vitæ hujus necessaria coli á cultoribus suis, quæ donat et blasphematoribus suis.

Sed audiamus ipsum Dominum et Magistrum nostrum dicentem in Evangelio. *Nemo*, inquit, *potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, et alterum diliget, aut alterum patietur, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonæ. Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca, et corpus quam vestimentum? Conspicite volatitia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester cælestis pascit illa: nonne vos magis estis illis? Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent: dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. Si*

autem fœnum agri quod hodie est et cras in clibanum mittitur Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo solliciti esse, dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur: hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus et omnia hæc apponentur vobis.

Hîc manifestissimè ostendit Dominus bona hujus mundi non esse appetenda tamquam talia bona, ut propter ipsa debeamus bene facere si quid facimus, sed tamen esse necessaria. Quid autem intersit inter bonum quod appetendum est et necessarium quod sumendum est, hac sententia Dominus declaravit, cum ait: *quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia apponentur vobis.* Regnum ergo et justitia Dei bonum nostrum est; et hoc appetendum, et ibi finis constituendus, propter quod omnia faciamus quæcumque facimus. Sed quia in hac vita militamus, ut ad illud regnum pervenire possimus, quæ vita sine his necessariis agi non potest; *apponentur vobis hæc, inquit, sed vos regnum Dei et justitiam ejus primum quærite.* Cum enim dixit illud primum, significavit quia hoc posterius quærendum est, non tempore, sed dignitate: illud tamquam bonum nostrum, hoc tamquam necessarium nostrum necessarium autem propter illud bonum.

Hoc loco vehementer cavendum est, ne forte cum vederimus aliquem servum Dei providere ne ista necessaria desint, vel sibi vel eis quorum sibi cura commissa est, judicemus eum contra præceptum. Domini facere, et de crastino esse sollicitum. Nam ipse Dominus, cui ministrabant Angeli, tamen propter exemplum, ne quis postea scandalum pateretur, cum aliquem servorum ejus animadvertisset ista necessaria procurare, loculos habere dignatus est cum pecunia, unde usibus necessariis quidquid opus fuisset præberetur: quo-

rum loculorum custos et fur, sicut scriptum est, Judas fuit, qui eum tradidit. Sicut et apostolo Paulo naviganti imposita sunt utensilia, quæ afferebantur, non ad unum tantum diem videtur victus esse procuratus. Idem scribit: *qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret operans manibus suis bonum, ut habeat unde tribuere cui opus est.*

Male intelligentibus non videtur Apostolum servare præceptum Domini quo ait: *respicite volatilia cœli quoniam non serunt neque metunt, neque congregant in horrea;* et: *considerate lilia agri quomodo crescunt; non laborant neque nent;* cum istis præcipit ut laborent operantes manibus suis, ita ut habeant quod etiam aliis possint tribuere. Et quod sæpe de se ipso dicit, quod manibus suis operatus sit ne quem gravaret: et de illo scriptum est, quod conjunxerit se Aquilæ propter artis similitudinem, ut simul operarentur unde victum transigerent, non videtur imitatus aves cœli et lilia agri. His et hujusmodi Scripturarum locis satis apparet Dominum nostrum non hoc improbare, si quis humano more ista procuret, sed si quis propter ista militet, ut in operibus suis non regnum Dei, sed istorum adquisitionem intueatur.

Ad hanc ergo regulam hoc totum præceptum redigitur, ut etiam in istorum provisione regnum Dei cogitemus, in militia vero regni Dei, ista non cogitemus. Ita enim etiamsi aliquando defuerint, quod plerumque propter exercitationem nostram Deus sinit, non solum non debilitant propositum nostrum, sed etiam examinatum probatumque confirmant. Non ergo æstimemus Domini promissa titubasse, ut famem ac sitim et nuditatem, sicut ipse ait, pateretur Apostolus quærens regnum et justitiam Dei, cum dictum sit nobis: *quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia apponentur vobis;* quandoquidem ista sicut adjutoria novit ille medicus,

cui semel nos commissimus, et á quo habemus promissionem vitæ præsentis et futuræ, quando apponat, quando detrahat, sicut nobis judicat expedire, quos et consolandos et exercendos in hac vita, et post hanc vitam in perpetua requie stabiliendos atque firmandos, gubernat ac dirigit.

Tandem cum nulla creatura sit, sive quæ in veritate manet, dans gloriam Deo, sive quæ in veritate non stetit, quærens gloriam suam: cum nulla, inquam, creatura sit, quæ non, velit nolit, divinæ providentiæ serviat; *jacta, frater, in Dominum curam tuam, et spera in eum, et ipse te enutriet.* Habeat tui curam qui fecit te. Qui habuit tui curam antequam esses, quomodo non habebit curam, cum jam hoc es quod voluit ut esses? Curam tui non habebit, *qui facit solem oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injutos?* Te jam justum ex fide viventem negliget, deseret, dimittet? Immo vero et hîc fovet, et hîc adjuvat, et hîc necessaria subministrat, et noxia resecat. Dando, consolatur ut permaneas; auferendo, corrigit ne pereas. Dominus curam habet tui, securus esto. Tanto enim gloriosiùs mens ad superiora promovetur, quanto diligentius ab in inferioribus concupiscentia cohibetur,



DOMINICA 15.ª POST PENTECOSTEM.

SERMO

Ibat Jesus in civitatem, quæ vocatur Naim: et ibant cum eo discipuli ejus, et turba copiosa.— *S. Luc. cap. 7. v. 11.*

Miracula Domini nostri et Salvatoris Christi Jesu omnes quidem audientes et credentes movent; sed alios atque alios aliter et aliter. Quidam enim corporalia ejus miracula stupentes, majora intueri non norunt: quidam verò ea quæ gesta audiunt in corporibus, nunc amplius in animis admirantur. Dicit ipse Dominus, *sicut enim pater suscitat mortuos, et vivificat; sic et filius quos vult, vivificat.* Non utique alios filius, alios pater, sed eosdem pater et filius: quia omnia pater per filium. Nemo ergo dubitet qui Christianus est, etiam nunc mortuos suscitari. Sed omnis homo habet oculos, quibus videre potest mortuos resurgere ita, ut resurrexit filius hujus viduæ, qui modo ex Evangelio recitatus est: unde autem videant homines resurgere mortuos in corde, non omnes habent, nisi qui jam resurrexerunt in corde. Amplius est resuscitare semper victurum, quam suscitare iterum moriturum.

De juvene illo resuscitato gavisa et mater vidua: de

hominibus in spiritu quotidie suscitatis gaudet mater Ecclesia. Ille quidem mortuus erat corpore, illi autem mente. Illius mors visibilis visibiliter plangebatur: illorum mors invisibilis nec quærebatur, nec videbatur. Quæsivit ille qui noverat mortuos: ille solus neverat mortuos, qui poterat facere vivos. Nisi enim ad mortuos suscitandos Dominus venisset, non Apostolus diceret; *surge qui dormis, et exurge à mortuis, et illuminabit te Christus.* Dormientem audis, cum dicit, *surge qui dormis:* sed mortuum intellige, cum audis, et *exurge à mortuis.* Dicti sunt sæpe dormientes et mortui visibiliter. Et plane omnes, ei qui potest excitare, dormiunt. Mortuus enim tibi mortuus est, qui quantumlibet pulses, quantumlibet vellices, quantumlibet lanies, non expergiscitur. Christo autem ille dormiebat, cui dictum est, *Surge:* et continuo surrexit. Nemo tam facile excitat in lecto, quam facile Christus in sepulchro.

Tres autem mortuos invenimus á Domino resuscitatos visibiliter, milia invisibiliter. Quot autem mortuos visibiliter excitaverit, quis novit? Non enim omnia quæ fecit scripta sunt, Joannes hoc dicit, *multa alia fecit Jesus, quœ si scripta essent, arbitror totum mundum non posse libros capere.* Multi ergo sunt alii sine dubio suscitati: sed non frustra tres commemorati. Dominus enim noster Jesus Christus ea quæ faciebat corporaliter, etiam spiritaliter volebat intelligi. Neque enim tantum miracula propter miracula faciebat: sed ut illa quæ faciebat, mira essent videntibus, vera essent intelligentibus. Quemadmodum qui videt litteras in codice optimé scripto, et non novit legere, laudat quidem antiquarii manum, admirans apicum pulcritudinem; sed quid sibi velint, quid indicent illi apices nescit et est oculis laudator, mente non cognitor: alius autem et laudat artificium et capit intellectum; ille utique qui non solum videre quod commune est omnibus potest, sed etiam

legere; quod qui non didicit, non potest. Ita qui viderunt Christi miracula, et non intellexerunt quid sibi vellent, et quid intellegentibus quodam modo innumerant, mirati sunt tantum quia facta sunt: alii vero et facta mirati, et intellecta assecuti. Tales nos in schola Christi esse debemus.

Videamus ergo quid nos discere voluit in tribus mortuis, quos suscitavit. Resuscitavit filiam mortuam Archisynagogi, ad quam ægrotantem petebatur, ut eam de ægritudine liberaret. Et cum pergit, mortua nuntiatur; et quasi jam frustra fatigaretur renuntiatum est patri ejus, puella mortua est, *quid adhuc fatigas magistrum?* Ille autem perrexit, et ait patri puellæ: *noli timere tantummodo crede.* Venit ad domum, et invenit jam obsequia funeri debita præparata, et dicit illis, *nolite flere: non enim est mortua puella, sed dormit.* Verum dixit: dormiebat, sed illi á quo poterat excitari. Hanc excitans, reddidit vivam parentibus. Excitavit et hunc juvenem viduæ filium, de quo nunc admoniti sumus, ut hinc ista quæ ipse largiri dignatur, cum vestra caritate loqueremur. Modo audistis quomodo excitatus est. Appropinquabat Dominus civitati: et ecce efferebatur mortuus jam extra portam. Misericordia commotus, quod flebat mater vidua et destituta unico filio, fecit quod audistis, dicens, *adolecens tibi dico, surge. Surrexit ille mortuus, cœpit loqui: et reddidit illum matri suæ.* Excitavit Lazarum de sepulcro. Et ibi cum ægrotantem scirent discipuli cum quibus loquebatur, (diligebat autem illum,) *Lazarus*, inquit, *amicus noster dormit.* Illi putantes ægri somnum salubrem: *si dormit*, inquiunt, *Domine*, *salvus est.* Et ille, dico vobis, apertius jam loquens, *Lazarus amicus noster mortuus est.* Utrumque verum dicens: mortuus est vobis, dormit mihi.

Ista tria genera mortuorum sunt tria genera peccatorum, quos hodieque suscitat Christus. Illa enim mortua-

filia Archisynagogi intus erat in domo, nondum erat de secretis parietibus elata in publicum. Ibi intus suscitata est, viva parentibus reddita. Iste autem jam quidem non in domo, sed tamen nondum in sepulcri parietibus elatus erat, terræ mandatus non erat. Qui suscitavit mortuam nondum elatam, suscitavit mortuum jam elatum, nondum sepultum. Tertium restabat ut et sepultum suscitaret: et hoc fecit in Lazaro. Sunt ergo qui peccatum intus in corde habent, in facto nondum habent. Nescio quis commotus est aliqua concupiscentia. Dicit enim ipse Dominus, *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam jam mœchatus est eam in corde suo.* Nondum accesit corpore, consensit in corde: mortuum intus habet, nondum extulit. Et ut fit, ut novimus, ut quotidie homines in se experiuntur, aliquando audito verbo Dei, tamquam Domino dicente, *surge;* condemnatur consensus ad iniquitatem, respiratur in salutem atque justitiam. Surgit mortuus in domo, reviviscit cor in cogitationis secreto. Facta est ista resurrectio animæ mortuæ intus intra latebras conscientiæ tamquam intra domesticos parietes. Alii post consensum sunt in factum, tamquam efferentes mortuum, ut quod latebat in secreto, appareat in publico. Numquid jam isti, qui in factum processerunt, desperati sunt? Nonne et illi juveni dictum est, *tibi dico, surge?* Nonne et ille redditus est matri suæ? Sic ergo qui jam fecerit, si forte commonitus et commotus verbo veritatis ad Christi vocem resurgit, vivus redditur. Potuit progredi, in æternum perire non potuit. Qui autem faciendo quod malum est, etiam mala consuetudine se implicant, ut ipsa consuetudo mali non eos sinat videre quia malum est, fiunt defensores malorum factorum suorum: irascuntur cum reprehenduntur; in tantum ut Sodomitæ quondam dicerent viro justo reprehendenti nequissimam voluntatem, *habitare venisti, non leges dare.* Tanta ibi nefandæ turpitudinis consuetudo erat, ut jam nequitia esset justitia,

et prohibitor potius reprehenderetur quam factor. Tales consuetudine maligna pressi, tamquam sepulti sunt. Sed quid dicam, fratres? Ita sepulti, ut de Lazaro dictum est, *jam putet.* Moles illa imposita sepulcro, ipsa est vis dura consuetudinis, qua premitur anima, nec surgere, nec respirare permittitur.

Dictum est autem, quatriduanus est. Re vera ad istam consuetudinem de qua loquor, quarto quodam progressu pervenit anima. Prima est enim quasi titillatio delectationis in corde, secunda consensio, tertia factum, quarta consuetudo. Sunt enim qui res illicitas obvias cogitationibus suis prorsus abjiciunt, ut nec delectentur. Sunt qui delectantur, et non consentiunt: nondum perfecta mors est, sed quodam modo inchoata. Delectationi accedit consensio: jam est illa damnatio. Post consensionem in factum proceditur: factum in consuetudinem vertitur: et fit quædam desperatio, ut dicatur quatriduanus est jam putet. Venit ergo Dominus, cui utique facilia erant omnia; et difficultatem quamdam ostendit ibi. Infremuit spiritu, ostendit multo clamore objurgationis opus esse ad eos qui consuetudine duruerunt. Tamen ad vocem clamantis Domini, rupta sunt vincula necessitatis. Tremuit inferni dominatio, redditus est Lazarus vivus. Liberat enim et de mala consuetudine Dominus quatriduanos mortuos: nam et ipse quatriduanus Christo volenti resuscitare dormiebat. Sed quid ait? Videte genus resuscitationis. Processit de monumento vivus, et ambulare non poterat. Et Dominus ad discipulos: *solvite eum, et sinite abire.* Ille suscitavit mortuum, illi solverunt ligatum. Aliquid pertinere videte ad propriam majestatem Dei suscitantis. Increpatur aliquis in mala consuetudine positus, verbo veritatis. Quam multi increpantur et non audiunt. Quis ergo agit intus cum illo qui audit? Quis vitam inspirat intrinsecus? Quis est qui secretam pellit mortem, secretam dat vitam? Nonne post objurgationes, post increpatio-

nes dimittuntur homines cogitationibus suis, et incipiunt secum volvere quam malam vitam gerant, quam pessima consuetudine premantur? Deinde displicentes sibi, mutare vitam instituunt. Resurrexerunt isti; revixerunt quibus displicet quod fuerunt: sed reviviscentes ambulare non possunt. Hæc sunt vincula ipsius reatus. Opus est ergo ut qui revixit, solvatur, et ire permittatur. Hoc oficium discipulis dedit, quibus ait, *quæ solveritis in terra, soluta sunt et in cœlo.*

Hæc ergo, Carissimi, sic audiamus, ut qui vivunt, vivant; qui mortui sunt, reviviscant. Sive adhuc peccatum in corde conceptum est, et non processit in factum: pœniteat, corrigatur cogitatio, surgat mortuus intra domum conscientiæ. Sive jam quod cogitavit admisit; nec sic desperetur. Non surrexit mortuus intus, surgat elatus. Pœniteat facti, de proximo reviviscat: non eat in profundum sepulturæ, non accipiat desuper consuetudinis molem. Sed forte jam illi loquor, qui jam duro sui moris lapide premitur, qui jam urgetur consuetudinis pondere, qui jam quatriduanus putet. Nec ipse desperet: profundus mortuus est, sed altus est Christus. Novit clamando terrena onera rumpere, novit intrinsecus per seipsum vivificare, solvendum discipulis tradere. Agant etiam tales pœnitentiam. Neque enim Lazaro resuscitato post quatriduum ullus putor in vivente remanserat. Ergo qui vivunt, vivant: quicumque autem mortui sunt, in quacumque harum trium morte se invenerint, agant ut celeriter jam resurgant.



DOMINICA 16.ª POST PENTECOSTEM.

SERMO

Homo quidam hydropicus erat ante illum.—*S. Luc. cap. 14. v. 2.*

Ideo sunt tamquam sincerissimum speculum proposita hominibus oracula cœlestium paginarum, ut ibi quisque videat quodlibet peccatum quantum sit, quod fortè magnum est, et malè viventium cœco more contemnitur. Potuitne graviùs divinis eloquiis accusari avaritia, quám ut idololatriæ demostraretur æqualis, et ejus nomine appellaretur, dicente Apostolo: *et avaritia, quæ est idolorum servitus?* Potuitne majori pœna digna judicari, quám ut inter illa crimina poneretur, quibus obsessi regnum Dei non possidebunt? Aperiantur oculi cordis, ne frustra pateant oculi corporis, et legant prædicatorem liberum veritatis in sua prima ad Corinthios epistola scribentem: *nolite errare; neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.*

Congruenter Dominus in Evangelio hydropicum animali, quod cecidit in puteum, comparavit, humore enim laborat. Ideo et nos hydropem rectè comparare possu-

mus diviti avaro: nam sicut ille quanto magis abundat humore inordinato, tanto ampliùs sitit, sic iste quanto est copiosior divitiis, quibus non benè utitur, tanto ardentius talia concupiscit. Ecce constituta ante oculos nostros avaritia: accusetur, non defendatur: immo accusata damnetur, ne defensor ejus cum illa damnetur. Nescio quo autem modo id agit avaritia in cordibus hominum, ut omnes, vel ut verius et cautius dicam pene omnes verbis eam constituant ream, et factis velint habere susceptam. Dixerunt in illam multi et multa et magna et gravia et vera, et poétæ et historici et oratores et philosophi, et omne litterarum et professionum genus multa dixit in avaritiam. Magnum est autem non illam habere, et multò plus est non eam habere, quàm de vitiis ejus non tacere.

Insatiabilis est quidem avaritia, nec tamen in ipsis qui multum habent, desiderium dicendum est ejus rei quam habent, sed quam volunt addere. Habet istam villam, desiderat habere et illam, quam non habet; sed cum habuerit, aliam desiderabit: non tamen desiderabit quod habuit, sed quod non habuit. Volendo ergo dives esse, desiderat, æstuat, sitit; et tamquam hydropisis morbo, plus bibendo, plus sitit. Mira ista similitudo est in corporis morbo: omnino avarus in corde hydrops est. Nam hydrops in carne, humore plenus est; humore periclitatur, et humore non satiatur: sic hydrops in corde, quanto plus habet, tanto plus eget. Extenditur enim animus desiderio rei concupitæ, non letitia consecutæ. Quotidie bibit, et sitit. Si hoc habebo, illud potero; parum possum, quia parum habeo. Cum et hoc habueris, plus habes velle: egestas aucta est non potestas.

Quid autem interest inter philosophos, verbi gratia, accusantes avaritiam et Apostolos eamdem ipsam accusantes? quid interest? Si advertamus, discimus aliquid, quod proprium non habet, nisi schola Christi. Ecce quod

ait Apostolus: *nihil intulimus in hunc mundum, nec auferre aliquid possumus; habentes victum et tegumentum, his contenti simus, multi dixerunt.* Etiam hoc: *radix omnium malorum avaritia*, fuerunt qui dicerent. Illud quod sequitur, nemo dixit illorum: *tu autem, homo Dei, hœc fuge; sectare verò justitiam, fidem, caritatem, cum his qui invocant nomen Domini de corde puro.* Talia nullus dixit illorum. Longè á crepantibus buccis soliditas pietatis. Quapropter, carissimi, quoniam sunt extra societatem nostram qui et avaritiam accusaverunt et contempserunt, ne nobis magni videantur, aut hominibus Dei. Si ullo modo compararentur, primitius discernere et tenere debemus propter Deum nos facere quod facimus.

Turpe est enim et nimis pudendum et dolendum, si cultores idolorum inventi sunt avaritiæ domitores, et cultor Dei unius ab avaritia subjugetur. Nimis grave est et nimis horribile, ut avaritia nos teneat in terris, cum illi dicamus: *Pater noster, qui es in cœlis,* cujus desiderio vilescunt omnia; nec nata nobis sunt inter quæ nati sumus, quia propter illum renati sumus. Sint hæc ad necessitatis usum, non ad caritatis affectum: sint tamquam stabulum viatoris, non tamquam prædium possessoris. Refice et transi. Iter agis, attende ad quem venisti; quia magnus est qui ad te venit. Discedendo de hac vita, locum facis venienti: stabuli est ista conditio: cedes, ut alius accedat. Si vis ad locum tutissimum pervenire, Deus á te non recedat, cui dicimus: *deduxisti me per semitas justitiœ tuœ, propter nomen tuum,* non propter meritum meum.

Aliud est ergo bonum, quod faciat bonum: et aliud est bonum, unde facias bonum. Bonum quod facit bonum, Deus est. Non enim facit hominem bonum, nisi ille qui semper est bonus. Ergo ut sis bonus Deum invoca. Aliud autem bonum est unde facias bonum: id est, quid-

quid habueris. Aurum est, argentum est; bonum est, non quod te faciat bonum, sed unde facias bonum. Habes aurum, habes argentum; et concupiscis aurum, et concupiscis argentum. Et habes, et concupiscis; et plenus es, et sitis. Morbus est, et non opulentia. Sunt homines in morbo, humore pleni sunt, et semper sitiunt. Humore pleni sunt, et humorem sitiunt. Quomodo ergo delectas opulentiam qui habes hydropem concupiscentiam? Habes ergo aurum, bonum est: habes, non unde sis bonus; sed unde facias bonum. Quod bonum, inquis, facturus sum de auro? Si habes bonum unde sis bonus, fac bonum de bono unde non es bonus. Habes pecuniam, eroga. Erogando pecuniam, auges justitiam. Vide quid minuatur, et quid augeatur. Illud minuitur quod eras dimissurus; illud augetur quod in æternum es possessurus.



DOMINICA 17.ª POST PENTECOSTEM.

SERMO

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. — *S. Matth. cap. 22. v. 37.*

Mandata Dei, sive cum leguntur, sive cum memoria recoluntur, tamquam speculum intuendum est, secundum apostolum Jacobum dicentem: *si quis est auditor verbi et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo: consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit: qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.* Quid mihi proderit quod mandata Dei didicerim, si corde perverso vias abibo pravas? Frustra enim custodiuntur memoria, si non custodiantur et vita. Neque ullo modo dicenda est via correcta, quamdiu est via perversa. Si enim præcepta non essent, non utique esset ubi se homo certiùs inspiceret, et videret unde averteretur, quò conaretur, quare gratularetur, quid precaretur.

Multa sunt quidem in Scripturis sanctis divina præcepta, quæ omnia commemorare nimis operosum est: sed Dominus qui verbum consummans et brevians fecit su-

per terram, in duobus præceptis dixit Legem Prophetasque pendere; ut intelligeremus, quidquid aliud divinitus præceptum est, in his duobus habere finem, et ad hæc duo esse referendum: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et diliges proximum tuum tamquam te ipsum. In his*, inquit, *duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ.* Quidquid ergo Dei lege prohibemur, et quidquid jubemur facere, ad hoc prohibemur et jubemur, ut duo ista compleamus. Ista enim duo præcepta diligenter considerata, ita ex alterutro connexa reperiuntur, ut nec dilectio Dei posset esse in homine si non diligit proximum, nec dilectio proximi si non diligit Deum.

Quæ disputationes, quæ litteræ quorumlibet philosophorum, quæ leges quarumlibet civitatum, duobus præceptis, ex quibus Christus dicit totam Legem Prophetasque pendere, ullo modo sint comparandæ: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua; et diliges proximum tuum tamquam teipsum?* Hîc physica, quoniam omnes omnium naturarum caussæ in Deo creatore sunt. Hîc ethica, quoniam vita bona et honesta non aliunde formatur, quám cum ea quæ diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt diliguntur, hoc est Deus et proximus. Hîc logica, quoniam veritas lumenque animæ rationalis nonnisi Deus est. Hîc etiam laudabilis reipublicæ salus: neque enim conditur et custoditur optimè civitas, nisi fundamento et vinculo fidei, firmæque concordiæ, cum bonum commune diligitur, quod summum ac verissimum Deus est, atque in illo invicem sincerissimè se diligunt homines, cum propter illum se diligunt, cui, quo animo diligant, occultare non possunt.

Sed utinam quám multis clara sunt Dei mandata, tám multis cara sint. Nam quid est clarius, quám: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota*

anima tua, et ex tota mente tua, et diliges proximum tuum tamquam teipsum? In quibus duobus mandatis tota Lex pendet et Prophetæ. Et quis est quem lateant ista mandata? Nempe et omnibus fidelibus, et plurimis infidelibus nota sunt. Quia verò Deum nosse difficilè est, consequens est utique, ut: *diliges Dominum Deum tuum* difficilè intelligatur, et aliud pro alio diligatur. Nam proximi facilior esse videtur cognitio. Sed multi nec seipsos noverunt; quia et seipsum nosse, quemadmodum homo sibi debet innotescere, non omnium hominum est. Quomodo ergo diligit proximum suum tamquam seipsum, qui nescit et seipsum? Ut sciamus diligere Deum, sciendus est Deus; et ut sciat homo diligere proximum tamquam seipsum, prius debet diligendo Deum diligere seipsum; quod unde poterit, si nescit Deum, si nescit et seipsum?

Bonum enim nostrum, de cujus fine inter philosophos magna contentio est, nullum est aliud, quám Deo cohærere. Hoc bonum diligere toto corde, in tota anima, et in tota virtute præcipimur. Ad hoc bonum debemus, et á quibus diligimur duci, et quos diligimus ducere. Sic complentur illa duo præcepta, in quibus tota Lex pendet et Prophetæ: *diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua: et diliges proximum tuum tamquam te ipsum.* Ut enim homo sese diligere noscet, constitutus est ei finis, quo referret omnia quæ ageret. Hic autem fines est adherere Deo. Jam igitur scienti diligere se ipsum, cum mandatur de proximo diligendo sicut se ipsum, quid aliud mandatur, nisi ei, quantum potest, commendet diligendum Deum? Hic est Dei cultus, hæc vera religio, hæc vera pietas, hæc tantum Deo debita servitus.

Omnia igitur præcepta divina referentur ad caritatem, de qua dicit Apostolus: *finis autem præcepti est caritas de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta.*

Omnis itaque præcepti finis est caritas, id est, ad caritatem refertur omne præceptum. Quod vero ita fit, vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam caritatem, quam *diffundit Spiritus Sanctus in cordibus nostris,* nondum fit quemadmodum fieri opportet, quamvis fieri videatur. Caritas quippe ista Dei est et proximi: et utique *in his duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ.* Adde Evangelium, adde Apostolos. Quæcumque ergo mandat Deus, et quæcumque non jubentur, sed spiritali consilio monentur, tunc rectè fiunt, cum referuntur ad diligendum Deum propter se, et proximum propter Deum, et in hoc seculo, et in futuro. Quis autem explicet quanta tunc caritas erit, cum cupiditas nulla erit?

Tenete ergo, fratres, delectionem, et securi estote. Quid timetis ne malè faciatis alicui? Quis malè facit ei quem diligit? Diligite: non potest fieri nisi bene faciatis. Nec opus est, ut per nos distendatur cor vestrum: impetrate á Deo ut diligatis invicem. Omnes homines, etiam inimicos vestros diligite: non quia sunt fratres, sed ut fratres sint; ut semper fraterno amore flagretis, sive in fratrem factum sive in inimicum, ut frater fiat diligendo. Ubicumque fratrem diligitis, amicum diligitis. Jam vobiscum est, jam in unitate etiam catholica vobis conjunctus est. Si bene vivitis, fratrem diligitis factum ex inimico. Sed diligitis aliquem qui nondum credidit Christo, aut si credidit Christo, ut dæmones credit, et reprehenditis vanitatem ipsius. Vos diligite, et fraterno amore diligite. Nondum est frater; sed ideo diligitis, ut sit frater. Ergo tota dilectio nostra fraterna est erga Christianos, erga omnia membra Christi. Diligite Dominum, et ibi discite diligere vos: ut cum diligendo Dominum dilexeritis vos, securi diligatis proximos sicut vos.

DOMINICA 18.ᴬ POST PENTECOSTEM.

SERMO

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.—*S. Matt. cap. 9. v. 2.*

Inter infirmum, id est, non firmum, et agrotum, id est, malé habentem, hoc mihi videtur interesse. Infirmo ne accidat tentatio, et eum frangat, timendum est: languens autem jam cupiditate aliqua ægrotat, et cupiditate aliqua impeditur ab intrando via Dei, á subeundo jugo Christi. Attendite illos homines volentes bene vivere, jam statuentes bene vivere, et minús idoneos mala pati, sicut parati sunt bona facere. Pertinet autem ad Christianam firmitatem, non solum operari quæ bona sunt, sed et tolerare quæ mala sunt. Qui ergo videntur fervere in operibus bonis, sed imminentes passiones tolerare nolle, aut non posse, infirmi sunt. Qui vero aliqua cupiditate mala amatores mundi ab ipsis operibus bonis revocantur, languidi et ægroti jacent: quippe qui ipso languore, tamquam sine ullis viribus, nihil boni possunt operari.

Talis in anima paralyticus ille fuit, de quo in Evangelio, quem cum ad Dominum inferre non possent qui eum portabant, tectum aperuerunt et deposuerunt: id est, tamquam si in anima hoc velis facere, ut tectum

aperias, et deponas ad Dominum animam paralyticam, dissolutam omnibus membris, et vacantem ab omni opere bono, gravatam utique peccatis suis, et languentem morbo .cupiditatis suæ. Si ergo dissoluta sunt membra omnia, et est paralysis interior, ut perveniens ad medicum, exponendo quod occultum est aperi tectum, et depone paralyticum. Fac, quantum possis, quod laudatum est in illis, qui aperto tecto ad Christum paralyticum submiserunt, ut diceret illi: *Constans esto, fili, remissa sunt enim tibi peccata tua.*

Sic enim fecit interiorem hominem salvum á paralysi, remittendo peccata et constringendo fidem. Sed erant ibi homines, qui non habebant oculos ed videndum interioren paralyticum jam esse sanatum, et medicum curantem putaverunt blasphemantem. *Quis est hic,* inquiunt, *qui peccata dimittit? Blasphemat iste. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Et quia ille erat Deus, talia cogitantes audiebat. Hoc verum de Deo cogitabant, sed Deum præsentem non videbant. Fecit ergo ille medicus aliquid et in corpore paralytici, ut et illorum qui talia dixerunt, interiorem paralysim sanaret. Fecit enim quod viderent, et dedit quod crederent.

Recte quidem in isto paralytico potest intelligi anima dissoluta membris, hoc est bonis operationibus, Christum quærere, id est, voluntatem Verbi Dei: impediri autem turbis, nisi tecta, id est, operta Scripturarum aperiat, ut per hæc ad notitiam Christi perveniat, hoc est ad ejus humilitatem fideli pietate descendat. Hi autem á quibus deponitur, bonos in Ecclesia doctores possunt significare. Quod autem cum lecto deponitur, significat ab homine in ista carne adhuc constituto Christum debere cognosci. Quem tamen lectum sanus postea jubetur portare, et ire in domum suam ut remissione peccatorum convalescentibus per spem bonam membris animæ, hoc corpus restaurare intelligatur; ut jam non

in carnalibus gaudiis tamquam in lecto requiescat infirmitas animi, sed magis ipsa contineat affectiones carnales, et tendat ad requiem secretorum cordis sui.

Si quisquam corpore ægrotaret in civitate, et esset ibi aliquis peritissimus medicus, amicis ægroti petentibus, inimicus: si quisquam ergo in civitate aliquo periculoso morbo corporis ægrotaret, et esset in eodem civitate peritissimus medicus, amicis, ut dixi, ægrotantis petentibus, inimicus, qui dicerent amico suo: noli eum adhibere, nihil novit: dicerent autem, non judicante animo, sed invidente: nonne illle pro salute sua removeret amicorum petentium fabulas, et ut paucis diebus plus viveret, cum illorum qualibet offensione, pellendo sui corporis morbo medicum illum, quem peritissimum fama commendaverat adhiberet?

Ægrotat humanum genus, non morbis corporis, sed peccatis. Jacet toto orbe terrarum ab Oriente usque in Occidentem grandis ægrotus. Ad sanandum grandem ægrotum descendit omnipotens medicus. Humiliavit se usque ad mortalem carnem, tamquam usque ad lectum ægrotantis. Dat salutis præcepta, contemnitur: qui audiunt, liberantur. Contemnitur cum dicunt amici petentes: nihil novit. Si nihil posset, potentiam ejus gentes non impleret. Si nihil nosset, non esset antè quàm apud nos esset. Si nihil nosset, Prophetas ante se non mitteret. Nonne modo impletur quæ ante prædicta sunt? Nonne probat medicus iste artis suæ potentiam promissa complendo? Nonne per totum mundum perniciosi evertuntur errores, et triturâ mundi domantur cupiditates?

Duo sunt officia medicinæ, unum quo sanitas custoditur, alterum quo sanatur infirmitas. Ibi enim sanus ne in morbum incidat tuitionem, hîc autem infirmus ut á morbo evadat remedium quærit. Et illa et ista salvos facit: sed illa in ipso salute conservat, hæc ex ægritudine ad salutem transfert. Itaque ibi justum auxilium est, quia

justo tribuitur: hîc autem misericors auxilium est, quia nullum habet meritum peccator, qui justificari desiderat, credens in eum qui justificat impium. Dicat ergo ibi justus: *justum auxilium meum à Domino, qui salvos facit rectos corde*. Dirigit enim justum, scrutans corda et renes Deus: justo autem auxilio salvos facit rectos corde: et dicat hîc peccator: *Salvum me fac, Domine, propter misericordiam tuam*. Quia si nobiscum severus judex agere voluerit, non misericors pater, quis stabit ante oculos ejus? Si non esset apud eum propitiatio, si observaret omnes iniquitates nostras, et quæreret eas, quis sustineret?

Alia quidem sunt præcepta quæ dat medicina ad tenendam sanitatem; sanis enim dantur ne ægrotent: alia sunt autem quæ jam ægroti accipiunt, ut recuperent quod amiserunt. Bonum erat homini, ut obediret medico, cum sanus esset, ne medicus illi opus esset. *Non est enim opus sanis medicus, sed ægrotantibus*. Proprie quippe medicus dicitur, per quem sanitas recuperatur. Nam semper Deus medicus opus est etiam sanis, ut sanitas ipsa teneatur. Bonum ergo illi erat tenere perpetuam sanitatem, in qua conditus erat. Quid illi deerat in paradiso constituto, in media opulentia, mediisque deliciis, cui magnæ deliciæ erant ipsa visio Dei, cujus faciem quasi inimici timuit post peccatum? Quid illi deerat, quia nisi sua potestate uti voluit, præceptum rumpere delectavit; ut nullo sibi dominante fieret sicut Deus, quia Deo nullus utique dominatur? Contempsit, abusus est, intemperantiâ sua decidit in malam valetudinem hujus mortalitatis: audiat vel modo præcipientem medicum, ut possit inde surgere, quo per peccatum ipse decubuit.

Eja ergo quisquis et tam infirmus et languens corde, ut velis á bonis operibus desistere, et paralysi quodam interiore dissolutus es, age si potes, aperto tecto submitte te ad Dominum. Medicum agnoscis; non in eum tam-

quam phreneticus sævias, non ab eo tamquam lethargicus evertaris. Multi enim sæviendo, multi dormiendo perierunt Phrenetici sunt, qui non dormiendo insaniunt. Lethargici sunt, qui multum dormiendo premuntur. Prorsus tales sunt homines. Contra istum medicum alii sævire in eum volunt, et quoniam ipse jam in cœlo sedet, membra ejus fideles ìn terra persequuntur. Curat et tales. Multi ex eis conversi ex inimicis facti sunt amici, ex persecutoribus facti sunt prædicatores. Tales etiam ipsos Judæos, in se ipsum, cum hîc esset, sævientes, tamquam phreneticos sanavit, pro quibus in ligno pendens oravit. Multi eorum conversi sunt ad eum quem crucifixerunt, et in Sacramento credentes, sanguinem ejus biberunt, quem sæviendo fuderunt.



DOMINICA 19.ᴬ POT PENTECOSTEM.

SERMO

Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.—*S. Matt. cap. 22. v. 2.*

Nuptias filii regis ejusque convivium norunt omnes fideles, et apparatus mensæ dominicæ omnium est voluntati propositus. Interest autem quomodo quis accedat, cum accedere non vetatur. Scripturæ quippe sanctæ docent nos dominica duo esse convivia, unum quo veniunt boni et mali, alterum quo non accedunt mali. Ergo convivium Domini, unde modo cum Evangelium legeretur audivimus, habet utique bonos et malos. Omnes qui ab hoc convivio excusaverunt, mali sunt; sed non omnes qui intraverunt, boni sunt. Alloquor ergo vos, qui in hoc convivio boni discumbitis, quicumque attenditis quod dictum est: *qui manducat et bibit indignè, judicium sibi manducat et bibit.* Omnes qui tales estis alloquor vos, ut foris non quæratis bonos intus toleretis malos.

Videte, fratres mei, quia juxta Evangelium, non pertinuit ad servos, nisi invitare et adducere bonos et malos: videte quia non dictum est: consideraverunt servi discumbentes, et ibi invenerunt hominem non habentem vestem

nuptialem, et dixerunt domino. Non hoc scriptum est. Paterfamilias inspexit, paterfamilias invenit, paterfamilas distinxit, paterfamilias separavit. Intravit ergo paterfamilias inspicere discumbentes, et invenit hominem non habentem vestem nuptialem: et ait illi: *amice, quomodo huc venisti non habens vestem nuptialem.* At ille obmutuit. Talis enim interrogabat, cui ille fingere nihil poterat. Vestis quippe illa in corde, non in carne inspiciebatur: quæ si desuper fuisset induta, etiam servis non fuisset occultata Ergo inventus est á domino qui servos latebat. Interrogatus obmutescit: ligatur, projicitur, damnatur. *Ligate illi manus et pedes, et mittite illum in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium.*

Quid est hoc, fratres? De tam parva culpa tam magna pœna? Magna enim. Parva dicitur culpa non habere vestem nuptialem: parva, sed non intelligentibus. Quando ille sic succenseret, quando ille sic judicaret, ut propter vestem nuptialem quam non habebat, mitteret eum ligatis manibus et pedibus in tenebras exteriores, ubi esset fletus et stridor dentium, nisi culpa esset valde gravis vestem non habere nuptialem? Dico: quia per me invitati estis, et si vos ille invitavit, per nos invitavit. In convivio estis omnes, habetote vestem nuptialem. Expono quæ est, ut omnes habeatis; et si aliquis me nunc audit qui non habet, antequam veniat paterfamilias et convivas suas inspiciat, mutetur in melius, accipiat vestem nuptialem, securus discumbat.

Quid est ergo vestis nuptialis? Quæramus illam in litteris sanctis. Quid est vestis nuptialis? Sine dubio aliquid est quod mali et boni commune non habent: hoc inveniamus, et invenimus vestem nuptialem. In donis Dei quid est, quod commune non habent boni et mali? Quod homines sumus et pecora non sumus, Dei donum est; sed commune hoc cum bonis et malis. Quod nobis lux de cœlo oritur, de nube pluviæ descendunt, fontes manant, agri fructificant,

dona sunt, sed bonis malisque communia. Intremus ad nuptias, foris alios relinquamus, qui non venerunt vocati. Ipsos convivas, id est, christianos consideremus. Baptismum donum Dei est; habent illum boni et mali. Altaris sacramenta simul accipiunt boni et mali. Prophetavit Saul iniquus, et viro sancto atque justissimo infestus, dum eum persequeretur prophetavit. Numquid dicuntur credere soli boni? *Et dæmones credunt, et contremiscunt.*

Excussi omnia, et ad vestem illam nondum perveni. Involucrum meum explicavi, omnia vel pene omnia consideravi, ad vestem illam nondum perveni. Quodam loco Paulus apostolus attulit mihi magnum involucrum magnarum rerum; exposuit ante me et dixi ei: ostende mihi si forte hic illam vestem nuptialem referisti. Cœpit excutere singula, et dicere: *si lingüis hominum loquar et angelorum; si habeam omnem scientiam, et prophetiam, et omnem fidem, ita ut montes transferam; si distribuero omnia mea pauperibus, et tradam corpus meum ut ardeam.* Magnæ vestes; nondum tamen est illa nuptialis. Jam profer nobis nuptialem vestem. Quid nos, Apostole, suspendis? *Si caritatem*, inquit, *non habeam, nihil sum.*

Hæc est vestis nuptialis: *charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.* Non quæcumque charitas: nam et malè viventes irretiuntur sibi societate perditæ conscientiæ, et dicuntur amare se, nolle discedere ab invicem, suis collocutionibus conciliari, desiderare se absentes, gaudere ad præsentiam suam. Amor iste tartareus est. Viscum habet, quo dejiciat in profundum; non pennas quibus levet in cœlum. Qui simul latrocinia faciunt, qui simul maleficia, qui simul histriones amant, qui simul aurigis et venatoribus clamant, plerumque diligunt se; sed non est in eis *charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.* Jam videte

utrum inter se tales habeant charitatem de corde puro. Purum cor in charitate hoc est quando diligis hominem secundùm Deum: quia et te ipsum sic debes diligere, ut non esset regula: *Diliges proximum tuum tamquam teipsum.* Si enim malè te diligis et inutiliter, ita et proximum diligendo quid ei consulis?

Vestis nuptialis illa est, quæ in honore accipitur conjugationis, id est, sponsi et sponsæ. Nostis sponsum. Christus est. Nostis sponsam: Ecclesia est. Bonum conjugium, sanctæ nuptiæ. Reliquit enim ille patrem et matrem, et adhæsit uxori suæ, *ut essent duo in carne una.* Reliquit patrem, quia non hîc se ostendit æqualem Patri; *sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Reliquit et matrem Synagogam, de qua carnaliter natus est. Adhæsit uxori suæ, id est, Ecclesiæ suæ. In illo enim homine et Ecclesia suscepta est á Verbo, quod *caro factum est et habitavit in nobis.* Unus homo caput et corpus, unus homo Christus et Ecclesia, vir perfectus, ille sponsus, illa sponsa. Unitatem personæ hujus miram et excelentem, commendat Isaias propheta: nam loquens in eo Christus in prophetia ait: *sicut sponso alligavit mihi mitram, et sicut sponsam, ornavit me ornamento.* Se dixit sponsum, se sponsam: quare se sponsum, se sponsam, nisi quia erunt duo in carne una? Merito ergo ille homo qui non habebat vestem nuptialem, quamvis invitatus venit, projectus est de numero vocatorum quia non habebat vestem ad sponsi gloriam: qui enim gloriam suam quærit, non Christi, non habet vestem nuptialem.

Induite vos, ò Convivæ, vestem nuptialem, ut securi discumbatis in convivio dominico. Vos alloquor, qui necdum habetis. Jam intus estis, jam ad convivium acceditis, et vestem in honorem sponsi nondum habetis: vestra adhuc quæritis, non quæ Jesu Christi. Deferte nubenti, deferte ducenti. Si istis bene detuleritis qui

nubent, vos filii eritis. Ergo in hoc proficite. Nolite dicere: ad istam vestem habendam pauperes sumus. Vestite et vestimini. Vestite nudos: nudus est Christus: et quicumque non habetis vestem nuptialem, dabit illam. Ad illum currite, ipsum rogate: novit sanctificare fideles suos, novit vestire nudos suos. Ut possitis vestem habentes nuptialem non timere tenebras exteriores, vincula membrorum et manuum et pedum, non deficiant opera. Si deficiunt, ligatis manibus quid facturi estis? ligatis pedibus quò fugituri estis? Illam teneatis vestem nuptialem, induimini ipsam, et securi discumbite, quando venit inspicere. Dies judicii aderit; magnum spatium modo largitur; qui nudus erat aliquando vestiatur.



DOMINICA 20.ª POST PENTECOSTEM.

SERMO

Nisi signa, et prodigia videritis, non creditis.—*S. Joann. cap. 4. v. 48.*

Arcana et secreta regni Dei priùs quærunt credentes, quò faciant intelligentes. Fides enim gradus est intelligendi: intellectus autem meritum fidei. Apertè hoc Propheta dicit omnibus præproperè et præposterè intelligentiam requirentibus, et fidem negligentibus. Ait enim: *nisi credideritis, non intelligetis.* Habet ergo et fides ipsa quoddam lumen suum in Scripturis, in Prophetia, in Evangelio, in Apostolicis lectionibus. Omnia enim ista, quæ nobis ad tempus recitantur, lucernæ sunt in obscuro loco, ut nutriamur ad diem. Dicit Apostolus Petrus: *habemus certiorem propheticum sermonem, cui benefacitis intendentes tamquam lucernæ in obscuro loco, donec dies lucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris.*

Est autem fides credere quod nondum vides: cujus fidei merces est, videre quod credis. Videtis ergo, fratres, quantum sint perversi et properando vitiosi, qui tamquam immaturi conceptus ante ortum quærunt abortum, qui nobis dicunt: quid me jubes credere quod non video? Videam aliquid ut credam. Jubes credere, dum non

videam: ego videre volo, et videndo credere, non audiendo. Dicat Propheta: *nisi credideritis, non intelligetis*. Ascendere vis, et gradus oblivisceris. Utique perversè. O homo, si jam tibi possem ostendere quod videres, non hortarer ut crederes. Vides aliquid, ut credas aliquid, et ex eo quod vides, credas quod non vides. Quid enim nunc agimus; nisi ut credant, non qui non credunt, sed qui adhuc parum credunt?

Erat quidam Regulus, ait Evangelium, *cujus filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset, quia Jesus adveniret à Judæa in Galilæam, venit ad eum et rogare cæpit ut descenderet, et sanaret filium ejus, incipiebat enim mori. Dixit ergo Jesus ad eum: nisi signa, et prodigia videritis, non creditis.* Quæres fortasse quis rogatur, non credebat? Quid á me expectas audire? Dominum interroga quid de illo senserit. Rogatus enim talia respondit: *nisi signa, et prodigia videritis, non creditis.* Arguit hominem in fide tepidum, aut frigidum, aut omnino nullius fidei; sed tentare cupientem de sanitate filii sui, qualis esset Christus, quis esset, quantum posset. Verba enim rogantis audivimus, cor diffidentis non videmus; sed ille pronuntiavit, qui et verba audivit et cor inspexit.

Denique et ipse Evangelista testimonio narrationis suæ ostendit quia nondum crediderat Regulus, quando venire ad domum suam Dominum cupiebat ad sanandum filium ejus. Nam posteaquám ei nuntiatum est sanum esse filium ejus, et invenit eâ horâ sanatum, quâ horâ Dominus dixerat: *vade, filius tuus vivit, tunc credidit*, inquit, *ipse et domus ejus tota. Jam autem eo descendente*, ait etiam Evangelium, *servi occurrerunt ei, et nuntiaverunt dicentes quia fiilius ejus viveret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit et dixerunt ei: quia heri horâ septimâ reliquit eum febris.* Si ergo propterea credidit ipse et domus ejus tota, quia

nuntiatus est ei filius ejus sanus, comparavit horam nuntiantium horæ prænuntiantis; quando rogabat nondum credebat.

Unde cum ille discipulus, qui se dixerat non crediturum resurrectionem Domini, nisi cicatrices ejus manu tetigisset, contrectato corpore Domini, quasi evigilans exclamasset: *Dominus meus et Deus meus;* ait illi Dominus: *quia vidisti me, credidisti; beati qui non viderunt et crediderunt.* Sic enim eum arguit Dominus quomodo istum Regulum. Huic dixit: *nisi signa, et prodigia videritis, non creditis;* illi autem dixit: *quia vidisti; credidisti.* Videbat Thomas tangebatque hominem, et confitebatur Deum, quem non videbat neque tangebat: sed per hoc quod videbat atque tangebat, illud jam remota dubitatione credebat. Dicit ei Jesus: *quia vidisti me, credidisti; beati qui non viderunt et crediderunt.* Præteriti temporis usus est verbis, tamquam ille qui quod erat futurum, in sua noverat prædestinatione jam factum.

Recolamus etiam illum Centurionem, cujus puerum Dominus sanavit, et conferamus cum hoc Regulo. Regulus iste Dominum ad suam domum descendere cupiebat: ille Centurio indignum se esse dicebat. Ille dicebatur: *ego veniam, et curabo eum:* huic dictum est: *vade, filius tuus vivit.* Ille præsentiam promittebat: hunc verbo sanabat. Iste tamen præsentiam ejus extorquebat: ille se præsentia ejus indignum esse dicebat. Hîc cessum est elationi: illic concessum est humilitati. Tamquam huic diceret: *vade, fiilius tuus vivit,* noli mihi tœdium facere: *nisi signa, et prodigia videritis, non creditis:* præsentiam meam vis in domo tua, possum et verbo jubere: noli tu de signis credere: Centurio credidit me verbo posse facere, et antequam facerem credidit: vos *nisi signa, et prodigia videritis, non creditis.*

Credamus ergo, fratres. In religione enim quid iniquius fieri potest, quam ut Dei antistites nobis non fictum

animum pollicentibus nolimus credant, nos verò eis præcipientibus credere? Populo Dei loquor. Evangelium audivimus, Evangelio consensimus, per Evangelium in Christum credidimus, nulla signa vidimus, nulla exigimus. Gradus pietatis est fides, fidei fructus intellectus, ut perveniamus ad vitam æternam, ubi non nobis legatur Evangelium; sed ille qui nobis modò Evangelium dispensavit, remotis omnibus lectionis paginis, et voce lectoris et tractatoris, appareat omnibus suis purgato corde assistentibus, et in corpore immortali jam numquam morituris, mundans eos et illuminans viventes et videntes. Credamus ex toto corde, non claudicantes, non hæsitantes, non contra ipsam fidem humanis suspicionibus argumentantes, ut tandem æternam fidei mercedem accipere mereamur.



DOMINICA 21.ª POST PENTECOSTEM.

SERMO

Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?—*S. Matt. cap. 18. v. 32.*

Sanctum Evangelium, quod modo cum recitaretur audivimus, de remisione nos admonuit peccatorum. Hinc admonendi estis ex sermone nostro. Ministri enim sumus verbi, non nostri, sed utique Dei et Domini nostri, cui nemo sine gloria servit, quem nemo sine pœna contemnit. Ipse ergo Dominus Deus noster, qui manens apud Patrem fecit nos, et factus pro nobis refecit nos; ipse Dominus Deus noster, Jesus Christus narravit nobis quod modo audivimus in Evangelio; similitudinem nempe valde terribilem: quia *simile est*, inquit, *regnum cœlorum homini patrifamilias, qui posuit rationem cum servis suis:* in quibus invenit debitorem decem millium talentorum. Et cum jussisset, ut omnia quæ habebat, et omnis ejus familia, et ipse venderetur, et debitum solveretur, advolutus genibus domini sui, rogabat eum dilationem, meruit remisionem. *Misertus est enim dominus ejus*, sicut audivimus, *et omne debitum dimisit illi.*

At ille debito liber, sed iniquitatis servus, posteaquám egressus est á facie domini sui, invenit atiam ipse debitorem suum, qui debebat, non decem millia talentorum, quantum ipsius debitum fuit, sed centum denarios: cœpit eum suffocatum trahere, et dicere: *redde quod debes* At ille rogabat conservum; sicut et ipse rogaverat dominum: sed non talem iste invenit conservum, qualem ille dominum. Non solum remittere illi debitum noluit; sed nec dilationem dedit. Contortum rapiebat ad solutionem, jam debito dominico liber. Displicuit conservis, et renuntiaverunt domino suo quid actum esset: et dominus fecit adesse servum, et dicit ei: *serve nequam, cum mihi tanta deberes, misertus tui, omnia dimisi tibi; nonne ergo et te oportebat misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?* Et jussit omnia, quæ illi dimiserat exigi.

Ergo hanc similitudinem ad nostram instructionem proposuit, et admonendo perire nos noluit. *Sic,* inquit, *et vobis faciet Pater vester cœlestis, si non remiseritis unusquisque vestrum fratri suo ex cordibus vestris.* Ecce, fratres, res in aperto est, admonitio utilis, et valde salubris obedientia debetur, ut quod justum est impleatur. Quod enim oblatus est domino servus debitor decem millium talentorum, et jussit eum venundari, et uxorem ejus, et filios, et omnia quæ habebat, et reddi, intelligendum est decem præceptorum Legis eum fuisse debitorem: et pro cupiditate atque operibus suis, tamquam uxore et filiis, pœnas solvere debuisse, quod est pretium ejus: pretium enim venditi, supplicium damnati intelligitur. Quod dixit, *noluit ignoscere conservo suo, sed abiit et misit eum in carcerem,* et reliqua quæ audistis; intelligendum, tenuit contra eum hunc animum, ut supplicia illi vellet. Conservi autem qui narraverunt domino quæ fiebant, potest intelligi Ecclesia, quæ et illum solvit, et illum ligat.

Ecce ille ipse servus, cujus debentis inventus est debitor, decem millia talentorum debebat. Puto enim quia decem millia talentorum, ut parum sit, decem millia peccatorum sunt. Nolo enim dicere unum talentum, quod omnia peccata concludat. Denarius quippe tamquam justitiæ numerus in decem præceptis Legis ostenditur. Ideo ille debebat decem millia talentorum. Ipse est ille memorabilis Decalogus Scriptus digito Dei, traditus populo per Moysem famulum Dei. Debebat ergo ille decem millia talentorum: omnia peccata significat, propter numerum legis. Debebat et ille centum denarios: non minùs ab eodem numero. Nam et centies centum fit decem millia; et decies deni, centum. Et ille decem millia talentorum. Et ille decies denos. A legitimo enim numero non recessum est, in quo utroque invenies utraque peccata. Uterque debitor, et uterque veniæ deplorator et impetrator: sed ille servus malus, servus ingratus, iniquus, noluit rependere quod accepit, noluit præstare quod illi indigno præstitum fuit. Servus autem ille quantum ei debebat? Centum denarios debebat. Ideo iratus est dominus, quia ei non dimisit. Centum denarii forte mille asses sunt. Sed quid ad decem millia talentorum?

Ac per hoc omnes culpas, quæ in nos committuntur, parati simus ignoscere, si nobis desideramus ignosci. Si enim consideremus peccata nostra, et numeremus quid facto, quid oculo, quid aure, quid cogitatione, quid innumerabilibus motibus; nescio utrum dormiamus sine talento. Ergo quotidie petimus, quotidie divinas aures orando pulsamus, quotidie nos prosternimus et dicimus: *dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Quæ debita tua? Omnia an aliquam partem? Respondebis omnia. Sic ergo et tu debitori tuo. Hanc ergo regulam ponis, hanc conditionem loqueris? hoc pacto et placito quando oras commemoras, ut dicas: *dimitte nobis sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*.

Nemo contra se teneat non ignoscendo, ne contra illum teneatur, quando orat. Dicit enim Deus *dimitte, et dimittetur tibi.* Sed ego prior dimisi: dimitte vel postea. Nam si non dimiseris revocabo te, et quidquid tibi dimiseram, replicabo tibi. Non enim mentitur Veritas; non enim fallit, aut fallitur Christus, qui subjecit dicens: *sic et vobis faciet Pater vester qui in cœlis est.* Invenis Patrem, imitare Patrem. Si enim imitare non vis, exheredari disponis. *Faciet ergo ita vobis,* inquit, *Pater vester cœlestis, si non remiseritis unusquisque fratribus vestris ex cordibus vestris.* Ne dicas in lingua ignosco, et corde differas. Supplicium enim ostendit tibi Deus, minando vindictam. Novit Deus ubi dicas. Vocem tuam homo audivit: conscientiam tuam Deus inspicit. Si dicis dimitto, dimitte. Melius est cum clamas ore, et dimittis in corde, quam blandus ore, crudelis in corde.

Quisquis ergo Christum cogitas, et cupis accipere quod promisit, noli esse piger facere quod præcepit. Quid enim promisit? Vitam æternam. Et quid præcepit? Dari fratri tuo veniam. Tamquam diceret tibi: tu homo da homini veniam, et ego Deus ad te veniam. Sed ut omittam illa divina promissa, in quibus nos Creator noster facturus est æquales Angelis suis, ut cum illo et in illo et de illo sine fine vivamus: hoc ipsum quod juberis fratri tuo dare, á Deo tu non vis accipere? Hoc ipsum, inquam, quod juberis fratri tuo dare, á Domino tuo non vis accipere? Dic mihi si non vis, et noli dare. Quid est hoc, nisi ut poscenti ignoscas, si tibi poscis ignoci? Aut si non habes quod tibi ignoscatur, audeo dicere, noli ignoscere. Quamquam nec hoc dicere debui. Etsi non habes quod tibi ignoscatur ignosce.



DOMINICA 22.ᴬ POST PENTECOSTEM.

SERMO

Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo.—*S. Matt. cap. 22. v. 21.*

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi á Deo. Rectissime his verbis monet Apostolus, ne quis ex eo quod á Domino suo in libertatem vocatus est, factusque christianus, extollatur in superbiam, et non arbitretur in hujus vitæ itinere servandum esse ordinem suum, et potestatibus sublimioribus quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradità est, putet non se esse subdendum. Cum enim constemus ex anima et corpore, et quamdiu in hac vita temporali sumus, etiam rebus temporalibus ad subsidium degendæ hujus vitæ ad vitam pertinet, subditos esse potestatibus, hominibus res humanas cum aliquo honore administrantibus. Ex illa vero parte, qua credimus Deo, et in regnum ejus vocemur, non nos oportet esse subditos cuiquam homini, idipsum in nobis evertere cupienti quod Deus ad vitam æternam donare dignatus est.

Alia sunt enim quæ servare debemus in unitate fidei sine ulla distantia, et alia in ordine hujus vitæ tamquam in via, ne nomen Dei et doctrina blasphemetur. Et *non*

solum propter iram, ut effugiamus offensionem homini: *sed etiam propter conscientiam* ut non simulate, quasi ad oculos hominum, ista faciamus, sed pura dilectionis conscientia propter Deum, *qui omnes homines vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire.* Si quis ergo putat, quoniam christianus est, non sibi esse vectigal redendum, aut tributum, aut non esse exhibendum honorem debitum eis qui hæc curant potestatibus; in magno errore versatur. Item si quis sic putat se esse subdendum, ut etiam in suam fidem habere potestatem arbitretur eum qui temporalibus administrandis aliqua sublimitate præcelit in majorem errorem labitur.

Modus iste servandus est, quem Dominus ipse præscribit in Evangelio, ut reddamus Cæsari quæ Cæsaris sunt, et Deo quæ Dei sunt. Quamquam enim ad illud regnum vocemur, ubi nulla erit potestas hujusmodi; in hoc tamen itinere dum agimus, donec perveniamus ad illud sæculum, ubi fit evacuatio omnis principatus et potestatis conditionem nostram pro ipso rerum humanarum, ordine toleramus, nihil simulate facientes, et in eo ipso non tam hominibus quam Deo, qui hæc jubet, obtemperantes. Ideone quis non integro animo et pura dilectione subditus fieret hujusmodi potestatibus, addidit Apostolus dicens: *non solum propter iram sed etiam propter conscientiam:* id est, non solum ad iram evadendam, sed ut in nostra conscientia certi simus illius dilectione nos facere, cui subditi fueremus jussu Domini nostri.

Cum enim quis responsionibus suis vincitur, et si male respondit, non habet quod imputet disputatori, sed sibi; et si bene respondit, erubescit ulterius resistere, non jam disputatori, sed sibi. In quo genere Dominus eum adversus Judæos crebro ageret, eos illorum responsionibus captos conclusosque convinceret, non vos audierant, nec á vobis conviciari didicerant: nam libentius et invidiosus eum fortasse dialecticum quam Samaritanum apellarent.

Quomodo enim putatis eos contortos et confusos, cum volentes eum capere in verbo, priores interrogaverunt, utrum liceret tributum reddere Cæsari bicipiti videlicet complexione insidiantes, ut quodlibet eligens caperetur? Si licere responderet, tamquam reus esset adversus populum Dei: Si autem diceret, non licere, tamquam Cæsaris adversarius puniretur. Ubi ille nummum sibi poposcit ostendi, et interrogabit cujus haberet imaginem et inscriptionem: at cum respondissent, Cæsaris aperta enim veritas hoc eos respondere cogebat: continuo Dominus eorum responsione colligatos ac captos trahens; *Reddite*, inquit, *Cæsari quæ Cæsaris sunt et Deo quæ Dei sunt.*

Reddantur ergo Cæsari quæ Cæsaris sunt, sed reddantur etiam Deo quæ Dei sunt. Deo namque se ipsum debet homo eique reddendus est á quo accepit ut sit. Hoc significat quod in Evangelio Dominus ait: *reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt et Deo quæ Dei sunt.* Hoc enim dixit cum sibi demonstrato nummo et quæsito cujus haberet imaginem responsum esset, Cæsaris: ut hinc intelligerent, quod Deus exigeret ab homine imaginem suam in homine ipso, sicut Cæsar suam exigebat in nummo. Et re vera quisquis bene cogitat, quid voveat Domino, et vota reddat, seipsum voveat, seipsum reddat. Hoc exigitur, hoc debetur.

Non enim aliquid alienum est, si imaginem Dei tenemus in nobis utinam eam per superbiam non amittamus. Homines ergo reddentes Deo quæ Dei sunt: id est, reddentes Deo imaginem suam erigunt ipsam mentem suam, non ad sed, sed ad artificem suum et ad lumen unde sunt, et ad calorem quemdam spiratalem unde fervescunt, et unde remoti frigescunt et unde recedentes contenebrantur, et quo revertentes illuminantur. Factus es enim homo ad imaginem Dei; per vitam vero perversam et malam perturbavit in se et exterminavit in se imaginem Conditoris sui. Factus disimilis; attendit in se, et

displicet sibi: jam ex eo cœpit similis fieri quia hoc sibi displicet quod displicet et Deo.

Unde et David, *quid retribuam Domino, pro omnibus,* inquit, *quœ retribuit mihi?* Non ait, quæ tribuit, sed quæ retribuit mihi. Retribuisti tu mala pro bonis, retribuit ipse bona pro malis. Quomodo retribuisti tu, ò homo, Deo mala pro bonis? Qui prius fuisti blasphemus, et persecutor, et injuriosus, retribuisti blasphemias. Pro quibus bonis? Primo, quia es: sed et lapis: Deinde, quia vivis: sed vivit et pecus. Quid retribues Domino, pro eo quod super omnia pecora et super omnia volatilia fecit te ad imaginem et similitudinem suam? Noli quærere quid ei retribuas: similìtudinem ipsius retribuere illi, non plus quærit, nummum suum exigit. Tu autem pro gratiis agendis, pro humilitate, pro obsequio, pro cultu religioso, id est, pro his omnibus bonis, quæ debebas Deo tuo, pro bonis quæ accepisti, quæ dixi, retribuisti blasphemias. Quid ergo ille? Confitere, ignosco. Retribuo et ego, sed non quod retribuisti tu: tu retribuisti mala pro bonis, ego retribuo bona pro malis.

Imago ergo Dei, ad quam creati sumus, perficiendo resculpatur. Peccando enim obsolefacta erat, attrita erat. Unde atrita? unde obsolefacta? Cum fricatur ad terram. Quid est, ad terram fricatur? Terrenis cupiditatibus teritur. Quamquam enim *in imagine ambulet homo tamen vane conturbatur*. Veritas quæritur in Dei imagine, non vanitas. Amando enim veritatem, imago illa, ad quam creati sumus, resculpatur; et proprius nummus Cæsari nostro reddatur. Cæsar non vult sibi perire quod possit et Deus non vult perire quod fecit. Cæsar, fratres mei, non fecit nummum, monetarii faciunt; artificibus jubetur; suis ministris imperabit. Imago exprimebatur in nummo: in nummo est imago Cæsaris. Et tamen quod alii impresserunt quæritur: ille thesaurizat; ille non vult sibi negari. Moneta Christi homo est: ibi imago Christi; ibi nomen Christi; munus Christi, et officia Christi.

DOMINICA 23.ᴬ POST PENTECOSTEM.

SERMO

Si tetigero tantùm vestimentum ejus: salva ero. — *S. Matth. cap. 9. v. 21.*

Dominus noster Jesus Christus, Magister verus, ad prædicandum Evangelium suum Gentibus ipse non ivit, sed discipulos misit. Et illic impletum est quod Propheta dixit: *populus, quem non cognovi, servivit mihi.* Videte quam alta, quam evidens, quam expressa prophetia. Populus quem non cognovi, id est, cui præsentiam meam non exhibui, servivit mihi. Quomodo? Sequitur: *in auditu auris obaudivit mihi:* hoc est, non videndo sed audiendo crediderunt. Populus Gentium, quem corporali præsentia non visitavi, servivit mihi: in obauditu auris abedivit mihi. Neque oculis me vidit; sed recipiendo prædicatores meos, in obauditu laus. Judæi enim viderunt, et occiderunt: Gentes audierunt, et crediderunt.

Habes hoc et in Evangelio sacratissime figuratum. Filia Archisynagogi quædam defuncta erat, pater ejus rogabat Dominum, ut iret ad eam: ægram reliquerat, et in periculo constitutam. Ibat Dominus ad visitandam et sanandam ægram: interea mortua nuntiata est, et dictum est patri: *puella mortua est, noli jam vexare Ma-*

gistrum. Dominus autem, qui sciebat se posse mortuos suscitare, non abstulit spem desperato, et ait patri: *noli timere, tantum crede*. Pergebat ad puellam: atque in itinere inter turbas, quomodo potuit coarctavit se quædam mulier, quæ fluxum sanguinis patiebatur, et diuturno illo languore in medicos frusta omnia quæ habebat impenderat. Dixit enim in corde suo: *si tetigero fimbriam vestimenti ejus, salva ero*. Tetigit, et sanitas subsecuta est quam præsumpsit.

Continuo Dominus dixit discipulis suis: *quis me tetigit?* Admirantes discipuli qui nesciebant quid esset factum, et videbant eum á turbis comprimi, et de una, quæ leviter tetigerat fuisse sollicitum responderunt: *turba te premit, et dicis: quis me tetigit?* Si solus ambulares, si spatium tibi ambulandi turba fecisset, si nemo juxta te esset, bene diceres: quis me tetigit? Turba premit te, tu unam tangentem commemoras et illi: tetegit me aliquis. Quasi diceret: turba ista premere novit, tangere non novit. Isti premunt, illa tetigit. Corpus ergo Christi multi moleste premunt, pauci salubriter tangunt. *Tetigit me*, inquit, *aliquis. Ego enim sensi de me virtutem exiisse*. At ubi vidit illa mulier non se latuisse, provoluta est ante pedes ejus, et confessa est quid esset factum. Post hæc perrexit, pervenitque quo tendebat, et puellam filiam Archisynagogi inventam mortuam suscitavit.

Factum quidem est, et ita ut narratur impletum: sed tamen etiam ipsa, quæ á Domino facta sunt, aliquid significantiæ erant, quasi verba, si dici potest visibilia et aliquid significantia. Quod maxime apparet in eo quod præter tempus poma quæsivit in arbore, et qui non invenit, arbori maledicens aridam fecit. Hoc factum, nisi figuratum accipiatur, stultum videbitur: primo quæsisse poma in illa arbore, quando tempus non erat ut essent in ulla arbore: deinde si pomorum jam tempus esset, non habere poma quæ culpa arboris esset? Sed quia significabat

quærere se non solum folia, sed et fructum, id est, non solum verba, sed et facta hominum arefaciendo ubi sola folia invenit significavit eorum pœnam qui loqui bona possunt, facere bona nolunt. Sic ergo et hic. Nam utique mysterium est. Præscius omnium dicit: *quis me tetigit?* Fit imperito similis creator, et interrogat non solum qui hoc sciebat, sed etiam qui cætera præsciebat. Aliquid est utique, quod nobis significante mysterio loquitur Christus.

Filia illa Archisynagogi significabat populum Judæorum; propter quem venerat Christus. Illa vero mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur, Ecclesiam figurabat ex Gentibus, ad quam Christus per præsentiam corporis non erat missus. Ad illam ibat, illius salutem intendebat: hæc intercurrit, tangit fimbriam quasi nescientis, id est, sanatur tamquam ab absente. Dicit ille: *quis me tetigit?* Quasi diceret: non novi hunc populum. Populus quem non cognovi servivit mihi. *Tetigit me aliquis.* Ego enim sensi virtutem de me exiisse, id est, Evangelium emissum totum orbem terrarum implesse. Tangitur autem fimbria, exigua pars vestimenti et extrema. Vestem putate Apostolos, sub textura unitatis adhærentes lateribus Christi. Ibi fimbria Paulus erat, hoc est, *minimus et novissimus*, nam utrumque de se dixit. Post omnes enim vocatus est, post omnes credidit, sed plus omnibus sanavit.

Non erat quidem missus Dominus, nisi *ad oves quæ perierant domus Israel:* tamen quia et populus quem non cognoverat, serviturus erat in obauditu auris obauditurus erat, nec de illo tacuit ibi constitutus. At enim quodam loco idem Dominus: *habeo alias oves quæ non sunt de hoc ovile; oportet me et has adducere, ut sit unus grex et unus pastor.* Ad has Gentes vocandas Paulus apostolus missus est. Minimus ille factus magnus, non per se, sed per eum quem persequebatur, missus est ad Gentes, ex latrone pastor, ex lupo ovis. Missus est

ad Gentes ille Apostolus minimus, et multum laboravit in Gentibus, et per eum Gentes crediderunt.

Estote ergo, fratres, corpus Christi, non pressura corporis Christi. Accedite ad eum, non carne, sed corde; non corporis præsentia, sed fidei potentia. Habetis vestimenti fimbriam quam tangatis. In veste novissimum et minimum fimbria est. Fimbria enim cum contemptu aspicitur; sed cum salute tangitur. Multi carnales Christum tantummodo hominem putaverunt, divinitatem in illo latentem non intellexerunt. Non bene tetigerunt, quia non bene crediderunt. Vultis bene tangere? Intelligite Christum ubi est Patri coæternus et tetigistis. Tangite, si fluxum sanguinis patimini: exiet virtus de illo cujus vestis est, et sanabit vos.



DOMINICA 24.ª POST PENTECOSTEM.

SERMO

Cum ergo vederitis abominationem desolationis, quæ dicta est á Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat.—*S. Matt. cap. 24. v. 15.*

De Domino nostro Jesu Christo scriptura prædixit venturum esse Deum ad judicium vivorum et mortuorum. *Deus manifestus veniet, Deus noster, et non silebit.* Quando enim prius venit judicari occultus fuit: quando veniet judicare, manifestus erit. Quando fuerit tunc occultus, hinc intelligite quod ait Apostolus: *si enim cognovissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*, tunc autem siluit interrogatus, sicut et Evangelium loquitur, et impleta est in eo Isaiæ prophetia dicentis: *sicut agnus coram tondente se fuit sine voce, sic non aperuit os suum.* Veniet ergo manifestus, et non silebit. Ad hoc dictum est: non silebit quia siluit judicatus. Nam quantum attinet ad voces ipsius nobis necessarias, quando siluit? Non siluit per Patriarchas; non siluit per os carnis suæ. Si sileret Christus, ergo vobis ista non dicerem. Opus est ergo ut nos audiamus sed aure cordis. Nam facile est audire auribus carnis. Illis auribus audire

debemus, quas quærebat Magister ipse cum diceret: *qui habet aures audiendi, audiat.*

Ait quidem Dominus discipulis suis in Evangelio: *cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta statem in loco sancto: qui legit, intelligat: tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes; et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua; et qui in agro non revertatur tollere tunicam suam.* Quis enim non videat hæc Domini verba ad expugnationem Jerusalem pertinere? Nam Josephus qui judaicam scripsit historiam, talia mala dicit illi populo tunc accidisse, ut vix credibilia videantur. Sed possunt congruentius illa verba intelligi spiritaliter, quod in tribulationibus omnibus est cavendum, ne quisque devictus ad carnalem vitam de spiritali sublimitate descendat; aut qui profecerat in anteriora se extendens, deficiendo in posteriora respiciat.

Ait etiam Dominus in Evangelio: *væ autem prægnantibus et mamantibus in illis diebus: orate ut non fiat fuga vestra hyeme vel sabbato. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos breviabuntur dies illi.* Prægnantes sunt qui spe intumescunt: mamantes autem, id est, lactantes, qui jam adepti sunt quod concupierant. Fuga in hyeme vel sabbato est, ne impedimento aliquo á bono detineamur: quia in hyeme imbribus vel frigore; et sabbato, in quo proficisci non licebat, impediebatur quis ab itinere. Quod autem ait Dominus: *nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos breviabuntur dies illi;* non debemus ambigere quando eversa est Jerusalem, fuisse in illo populo electo Dei, qui ex circumcisione crediderant, sive fuerant credituri, electi ante constitutionem mundi, propter quos breviarentur dies illi, ut tollerabiliora mala fierent.

Sequitur Dominus dicens in Evangelio: *tunc si quis vobis dixerit: ecce hîc Christus, aut illic nolite credere: Surgent enim pseudochristi, et pseudoprophetæ; et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fiere potest etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis: ecce in deserto est, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab Oriente et paret usque in Occidentem; ita erit et adventus Filii hominis.* Orientis et Occidentis nomine totum orbem voluit significare, per quem futura erat Ecclesia. Consequenter ergo discipulos admonet atque omnes fideles et qui in eum credere voluerint ne schismaticis atque hæriticis credant: Quod autem subjunxit Dominus dicens: *ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et àquilæ;* dictum accipite de spiritalibus, qui ejus passionem humilitatemque imitando, tamquam de ejus corpore saturantur. Corpus enim propter humilitatem pro nobis passionemque suscepit.

Ait etiam Dominus in Evangelio: *statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur, et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo: et tunc plangent omnes tribus terræ, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate.* Hoc nullus enim ambigit de Christi adventu novissimo et de fine sæculi prædictum fuisse, quando verturus est judicare vivos et mortuos. Addidit namque Dominus: *et mittet angelos suos cum tuba et voce magna: et congregabunt electos ejus à quatuor ventis á summis cœlorum usque ad terminos eorum.* Christus Dominos secundum quod Filius Dei numquam accepit potestatem judicandi, quia numquam caruit potestatem judicandi; secundum quod Filius hominis, accepit tempus sicut nascendi et patiendi, sicut moriendi et resurgendi et ascendendi, ita veniendi et judicandi.

Ait denique Dominus in Evangelio: *ab arbore autem fici discite parabolam: cum jam ramus ejus tener fuerit, et folia nata, scitis quia prope est æstas: et ita vos cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in januis. Amen dico vobis quia non præteribit generatio hæc donec omnia hæc fiant Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Arboram fici genus humanum intelligite propter pruritum carnis. Recordamini originale peccatum Adæ, in quo omnes morimur. Quando primo peccavit. de foliis ficulneis succintoria sibi fecit, significans in illis foliis pruritum libidinis, quo peccando pervenit. Inde nascimur, in carne peccati nascimur, quam sola sanat similitudo carnis peccati. *Ideo misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati.*

Vigilemus, fratres mei, bene vivendo, ne novissima dies cujuscumque nostrum nos inveniat imparatos, et qualis quisque hinc exierit suo novissimo die, talis inveniatur in novissimo sæculi die. Sic enim, sic veniet Dominus judicaturus, quomodo venerat judicandus. Homo venit ut judicaretur, homo veniet ut judicet. Quam largiter prærogat misericordiam in præsenti seculo. Eligamus ergo ut vivos nos inveniat Christi adventus in anima; ne peccando simul ab illo damnetur caro et anima. Propterea enim se judex venturum minatur, ut non veniat quos puniat cum venerit. Finis mundi in proximo est: et si in proximo non est, dies ultimus uniuscujusque nostrum incertus est. Quid differimus, si beatam vitam tendimus? Dum tempus est emendemur; bonam caussam habeamus, ut futurum diem judicii non timeamus.

FINIS.

INDEX.

Págs.

Págs.



PRÆCIPUA MENDA.



Págs.	Lin.	Legitur.	Corrige.
4	19	cfficioso	officioso
Ibid.	20	prœmio	procœmio
5	15	sapientiæ	sapientia
Ibid.	15	sapientiæ	sapientia
9	7	misecorditer	misericorditer
10	3	est... est	es... es
12	12	est	es
Ibid.	21	est	es
13	4	ita	ista
14	9	eum	cum
16	10	ommino	omnino
25	25	innuctæ	innuptæ
29	35	fierit	fieri
32	8	tomiusset	tumuisset
34	7	esuribit	esurivit
35	8	femininum	femeninum
Ibid.	24	extendes	extendens
37	11	Verbum	verbo
Ibid.	12	retimebat	retinebat
42	15	numere	munere
Ibid.	20	in cautos	incautos
43	17	Ejus	ejus
Ibid.	30	Dormiebat	dormiebat
Ibid.	31	exitaverunt	excitaverunt
44	26	Exita	Excita
45	17	dimittete	dimittite
47	12	subastu	sub æstu
Ibid.	20	intrus	intus
48	1	quæratesire	quærat exire
50	4	animos	animus
Ibid.	28	æstos	æstus
51	19	fixium	fixum

Págs.	Lin.	Legitur.	Corrige.
53	26	sini	sine
54	12	rescistentes	resistentes
56	21	operariis	operarios
57	19	æstum	æstus
60	17	sienti	sitienti
61	11	promisset	promisit
Ibid.	13	in certus	incertus
63	5	propietas	proprietas
64	21	est	et
65	6	discentiat	dissentiat
66	6	quotidianuarum	quotidianarum
Ibid.	8	fraugatur	frangatur
67	21	in vitæ	in vite
68	21	vexate	versate
Ibid.	28	ordhareum	ad horreum
Ibid.	31	alaborantes	elaborantes
Ibid.	32	conculcotum	conculcatum
71	28	Domini	Domine
Ibid.	30	vobiscum	nobiscum
72	12	intilligentiæ	intelligentiæ
Ibid.	13	hane	hanc
75	4	ui	ut
77	24	mæ	meæ
Ibid.	30	dissolbi	dissolvi
78	1	noctæ	nocte
Ibid.	20	passions	passionis
Ibid.	20	solmnitate	solemnitate
Ibid	20	iquael	qua
79	29	hec	hæc
80	8	aduhc	adhuc
82	19	tolo	toto
85	7	lumem	lumen
86	17	Filiu	Filius
Ibid.	30	Est	Et
87	21	ræcte	rectæ
97	29	inhærabat	inhærebat
99	7	est	et
Ibid.	19	nobi	novi
103	29	gheennas	gehennas
104	34	formæ	forma
105	8	exerenda	exercenda
107	27	præeedebant	præcedebant
111	6	vite	vitæ
116	30	præjuditia	præjudicia

Págs.	Lin.	Legitur.	Corrige.
126	21	videbtis	videbitis
127	35	sæcolorum	sæculorum
133	2	audivimos	audivimus
135	5	voro	vere
146	11	complexeus	complexus
152	18	repudiaverunt?	repudiaverunt.
165	24	vocabit	vocavit
169	19	itiam	etiam
175	34	hac	ac
186	31	semillitudine	simillitudine
190	5	infidelis	infideles
195	21	Gratia	Gratias
196	10	est	et
197	4	decendere	descendere
218	28	volatitia	volatilia
223	5	neverat	noverat
234	27	fines	finis
236	5	agrotum	ægrotum
238	11	illle	ille
264	27	verturus	venturus
Ibid.	31	Dominos	Dominus




THE LIBRARY OF CONGRESS

